STUDIA LUCIANEA.

STUDIA LUCIANEA.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

C. P. TIELE,

THEOL. ET LITT. DOCT. IN FACULTATE THEOL. PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN UNIVERSITATE LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

PETRUS MARINUS BOLDERMAN,

E PAGO BUNNIK ULTRAJECTINUS,

DIE XIV MENSIS JUNII, A. MDCCCXCIII, HORA III.

LUGDUNI-BATAVORUM

APUD A. H. ADRIANI

MDCCCXCIII


LIBRARY
MAY 16 1966
UNIVERSITY OF TORONTO

Patri Carissimo.

CONSPECTUS CAPITUM.

CAPUT PRIMUM.

PRAEFATIO. DE VITA SCRIPTORIS.

1. *De auctoritate ac gratia, quibus Lucianus apud posteros floruit.*

Unicuique paulisper modo in Graecorum litteris versato illud Aeschyli cognitum est, qui, cum ab aequalibus praemio dignus non haberetur, posteriorum judicio confisus tragoedias tempori se dedicare pronuntiavit. Atque spes eum non fefellit; optimo enim jure, cum apud inferos moraretur, praedicare potuit, *ὅτι ἡ ποίησις οὐχὶ ἑαυτῷ συντέθνηκεν*, quae sunt verba Aristophanis, qui de Aeschyleae poeseos indole se peritissimum judicem praestitit.

Eandem fere fortunam expertus est Lucianus, cuius scripta explorare ingeniumque dignoscere mihi est in animo. Quamvis enim ab aequalibus iisque, qui saeculo proxime sequenti scripserunt, ne qui nominaretur quidem, dignus putaretur, apud posteros, qua merebatur, floruit gloria.

Nam Byzantinorum temporibus, cum scripta ceterorum

Graecorum, qui quondam inter omnes summi putabantur, socordia ac ignorantia hominum aut prorsus interiissent, aut in paucarum fabularum corpus contracta solam propter formam gloriamque pristinam in scholis legerentur, tum etiam Lucianus is erat, qui multorum odium atque amorem movere posset.

Gratissimi Christianis erant dialogi satirici, in quibus Deorum fabulae et totus antiquorum gentilium cultus in ludibrium vocabatur. Dolori iisdem erat Lucianus, quia ipsorum quoque religionem et sacrorum librorum dignitatem ab eo elusam esse opinabantur. Suidas (in voce Λουκιανός) scriptorem propterea acerbis conviciis laceravit et passim in Scholiis voces leguntur, quales sunt: οἷα ληρεῖς, ὦ κατάρατε, κατὰ τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ et ὦ μέτοχε τῆς αἰωνίου κολάσεως.

Hereticis Byzantinis Lucianus fontem praebuit, unde satirici dialogi formam in suum usum convertere possent, quod Philopatris [1]) ostendit, ubi dogma de Trinitate Lucianeo jocandi genere deridetur.

Denique omnibus, qui tunc temporis litteris se dabant, Lucianus perfectus auctor videbatur, ita ut multi eum imitari conarentur, cuius rei documentum praebet dialogus Βίων πρᾶσις [2]) ad Luciani exemplum a Theodoro Prodromo compositus.

Huic autem Byzantinorum erga nostrum scriptorem curae atque diligentiae debemus, ut ex omnibus vitae temporibus, qua longaeva usus est auctor, multa eius fertilissimi ingenii

1) Legitur inter pseudolucianea opera.

2) Postea fusius de hoc opere disputabo.

monumenta ab oblivione sint vindicata. Quanti hoc aestimandum sit, facile cuivis apparebit, si secum reputet, quam pauca ceterorum Graecorum juvenilia scripta adhuc habeamus. Ut ex pluribus unum laudem, quot tragoediis pangendis Sophocles se exercuisse putandus est, antequam Ajacis fabulam, quam ex septem, quae supersunt, primam scripsit, est exorsus?

Quod vero ad Lucianum pertinet, etiam hodie investigare nobis licet, quae scriptor adhuc juvenis praestiterit, quos duces secutus sit, quae judicia postea correxerit, vitamque hominis atque indolem non minus quam si nobiscum vixisset, cognoscere possumus.

Postea Lucianus carus fuit iis, qui in Italia cultiore ac libero ingenio praediti erant, cum antiquae litterae ab inferis, ut ita dicam, excitarentur, et novus seculorum inciperet ordo. Poggius Bracciolinus, ut locupletissimum proferam testem, Cosmo de Medici, quippe qui pedibus laboraret, roganti, ut sibi librum jucundum et hilarem praeberet, quaedam opera Lucianea a se ipso latine versa misit.

Erasmus popularis noster, ad stultitiam aequalium deridendam natus, satiricum Samosatensem laudibus cumulavit eximiis (Epistol. 29. 5).

Plures vero, qui ipsum admirarentur, scriptor consecutus est seculo decimo octavo, cum tempora ac hominum opiniones multis in rebus cum Antoninorum aevo comparari possent. Gibbon ille atrox Christianismi spretor eum veneratione prosequitur propter „his fashionable irreligion" atque Goethe, neque is fidei proximus, multis verbis et magno cum amore imaginem cuiusdam magistri sui delineavit, qui

se totum operibus Luciani dabat. (Goethe. Aus meinem Leben, I, 4: „ein sehr durchlesener Lucian kam nie von seiner Seite.")

Inter Batavos Hemsterhusius exclamat: „ad nostram certe aetatem nullum pervenit ingeniosi hominis monumentum, quod cum Luciani dialogis possit comparari." (Prolog. ad Dial. Mort.).

Alii viri docti, ut Lucianum eiusque ingeniosa scripta pluribus lectoribus aperirent, id egerunt, ut omnia eius opera verterentur, quarum versionum facile princeps est putanda illa Germana, quae a viro cl. Wielandio profecta est.

2. *De studiis philologorum, qui operum chronologiam exposituros, Lucianique ingenium se adumbraturos esse professi sunt.*

Ante alios omnes, qui in cognoscendum Luciani ingenium studia contulerunt, nominandus est Matthias Gesnerus[1]), qui anno 1715 dissertatione de aetate et authentia Philopatridis tam accurate omnia argumenta collecta aestimavit, ut post eum nemo Lucianeam illius libri originem defendere auderet. At *μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ*, per totum seculum decimum octavum nulla alia commentatio, ut Lucianus melius intellegeretur scripta, indagari potest, itaque nostro aevo relictum fuit, ut, quo honore Lucianus in Graecorum scriptorum serie dignus esset, justa suffragia ferrentur.

Quodammodo cum praecedentium seculorum Luciani

---

1) Cfr. index librorum in fine diss.

laudationibus comparandus est liber, „Characteristik des Lucians", a v. d. Jacobo[1]) anno 1832 editus, qui totius scriptoris imaginem sibi delineandam suscepit. Quam ob causam cum haud parva laude dignus videatur, tamen communibus implicatus est erroribus, qui circa medium nostrum aevum homines impediebant, quominus cum Graeco graece, cum lepido Luciano jocose sentire possent. Lucianus, ut apud Jacobum describitur, non amplius est venustus ac dicax spretor graecae superstitionis, sed severus et gravis factus est Germanus, qui nihil antiquius habet quam ut patriam omnium civium parentem cum religione colat, suosque cives ad reipublicae virtutes, quibus majores civitatem auxerant, adhortetur.

Post Jacobum viri docti in diversa abierunt castra. Pars philologorum magnum studium ei rei impenderunt, ut qui codices manuscripti fide digni, qui abjiciendi essent, accurate investigarent, quo loco Franciscus Fritzschius[1]) et Julius Sommerbrodtius[1]) primi sunt nominandi.

Alii, inter quos Cobetus[1]) eiusque discipuli[1]) excellebant, scriptorem insulsissimis mendis liberarunt, et linguam qualem in codicibus invenimus, magis Atticae dictioni convenientem reddiderunt.

Multo tamen plures viri docti, praesertim in Germania, in quaestionibus de singulorum librorum tempore et consilio disceptandis morabantur. Interdum unus et alter philologus ex omnibus Luciani operibus, quotquot sunt et quocumque tempore scripta, compilavit, quae ille de

---

1) Cfr. index librorum in fine diss.

philosophia [1]), de rhetorica, de studiis aequalium [2]) protulerit judicia.

Quid de ratione, qua viri docti quaestiones de singulis libellis, aut de Luciani ingenio dirimebant, censendum est?

Multa sane utilia protulerunt, sed qui singula tantum opera minutatim excutiebant, in eo mihi videntur esse reprehendendi, quod explorare neglexerunt, quo nexu opus, de quo quaerebant, esset conjunctum cum dialogis, qui idem fere praebent argumentum [3]).

At vitium multo magis notandum in eo conspicitur, quod Lucianum, quae postea sibi vituperanda putaret, juvenem laudasse, deinde per quoddam vitae tempus, cum aequales castigare nondum studeret, comicorum argumenta solius formae ac leporis causa imitatum esse, multis philologis nunquam in mentem venit. Itaque plurimis libris satiricam indolem obtrudebant, quae, etiamvis non perspicua esset, latere tamen iis videbatur; sic infaustis ominibus natum est illud monstrum quod, quia apud Germanos praesertim multos peperit errores, vocibus Germanis „die versteckte Satire" appellabo. Statim ut illam interpretandi rationem cognoscatis, testes producam. Cum Lucianus rhetor libro de Saltatione artem mimicam laudasset, Hertzbergius [4]) scripsit „Lucian wollte in dieser Schrift einen blendend scharfen Spiegel einer heillos verkehrten Zeitrichtung vorhalten." Cum Lucianus

---

1) W. Chlebus. De Luciano philosopho.
Van Eyken. „ „ „

2) P. C. Margadant. De Luciano aequalium censore.

3) E. g. Fritzschius in quaestione de Icaromenippo.

4) Cfr. p. 27 meae diss.

Dialogos Meretricios ad exemplum Novae Comoediae componens lepidas tantum imagines appetivisset, Sommerbrodtius ita de iis locutus est: „Zur Ergänzung dieses Bildes des sittlichen Verfalls (i. e. seculi Antoninorum) dienen die Hetaerengespraeche." (Ed. Weidm. Praef. p. XXX).

Ex eodem vitio, quod nempe philologi varia tempora distinguere non curabant, etiam alius error natus est; plurimi viri docti, cum quoddam opus satiricae Luciani naturae non responderet, inter spuria illud rejecerunt. Exempli gratia, de eadem Saltationis laudatione, quae Hertzbergio satira esse videbatur, v. d. Schulzeus[1]) locutus est: „Es liegt auf der Hand, dass so seltsame Ansichten im Tone der Ueberzeugung vorgetragen, dem von Jugend auf mit Griechischer Litteratur beschäftigten aufgeklärten Lucian nicht in den Mund gelegt werden können," et opus a Luciano abjudicavit. Introitus dialogi Nigrini ad comicum quoddam exemplum vehementissimis verbis compositus Rankeo, Bekkero et multis aliis[2]) a Luciani satirica indole alienus esse videbatur, et quia illam comicam originem non perspiciebant, dialogum temere inter spuria relegaverunt.

Denique vetustiores praesertim, sed et recentiores in ea re lapsi sunt, quod semper, quae apud Lucianum judicia inveniebant, ex intimo scriptoris corde profluxisse opinabantur.

---

1) Cfr. Fleck, Jahrb. 143, p. 823.

2) Bernaysius de Nigrini origine dubitat. (Luc. u. die Kyn. p. 89).

P. C. Margadant (de Luc. aeq. cens. p. 71): „Quare aut indignemur necesse est, quia bonus dormitavit Homerus, aut Nigrinum ab nescio quo verborum ostentatore conscriptum esse statuamus."

Rhetoricam declamationem in patriae laudem habebant[1]) pro „eine reife und edle Frucht seiner spätern Jahre, mehr ein Werk des Herzens als des Witzes." Verba piissima, quae Lucianus in Nigrino ad comoediae normam scripsit, pro ipsius scriptoris confessione habentes, Hertzbergius et Brunsius admirabantur „seine liebesbedürftige und liebesfähige Natur und die leidenschaftliche Bewunderung zu einem Vertreter des Platonismus."

Vides ergo, mi lector, vel ex his paucis testimoniis, quibus vitiis philologorum studia laborarint!

Tum demum lux e tenebris orta est, cum nonnullis apparere coepit, quae ratio inter Lucianum rhetorem et comicos praesertim scriptores intercederet, quo loco mihi laudandi sunt P. Schulzeus, cuius dissertationem[2]) postea tractabo, et inprimis Theodorus Kockius, fragmentorum comicorum editor nobilissimus.

3. *Exponitur, quid rationis inter comicos poetas et Lucianum intercedat. Scripta Luciani ad quattuor aetates sunt referenda.*

Hic jam mihi locus esse videtur, ut pauca de me ipso disseram. Cum lege mihi concessum esset, ut in Academia Lugduno-Batava supremos honores peterem, v. cl. J. Leeuwenius, quem praeceptorem per quinque annos gratus discipulus audivi, mihi suasit, ut in scriptis Lucianeis quaererem,

---

1) Cfr. p. 26.

2) Cfr. index librorum in fine diss.

num sub forma prosae orationis versus vel fragmenta versuum laterent e comoedia Attica sumpta.

Magno studio atque labore Lucianum, comicorum fragmenta, et Kockianas de hac quaestione lucubrationes [1]) perscrutatus, me nullum novum fragmentum ex aliqua vetere comoedia in Luciano repperisse fateri cogor, sed quod maioris est momenti, etiam Kockium nimis audacter in fragmentis restituendis grassatum esse pro certo cognovi.

Quid enim rationis inter Lucianum et Comicos intercedit? Nonnumquam, ut in Timone et Dialogis Meretriciis totum argumentum e Comoedia sumpsit, alibi e. g. in Gallo et Tyranno, quaedam episodia, ut dialogi hilariores fierent, inserta sunt. Interdum e. g. in dialogo de Parasito personam comicam (parasitum) induxit, saepius tamen solum sermonem ad comicorum genus dicendi finxit.

Facile igitur intellegas, lector, saepe non posse dirimi, utrum scriptor aliquod exemplum ante oculos habuerit, an e suo ingenio argumentum comice invenerit. Numquam tamen, ne in Timone et in Dialogis Meretriciis quidem, Lucianus magistros tam presse secutus est, ut ex sparsis comicis locutionibus tota scena refici possit.

Frustra igitur meam inquisitionem suscepi neque quidquam lucratus sum?

Minime vero; comicorum auxilio multo melius, quam alioquin potuissem, ingenium Luciani per varias aetates crescens perspexi.

---

1) Cfr. Mus. Rhen. 1888, Herm. XXI, Com. Att. Fragm. Tom. III.

Quod autem Luciano cum comicorum fragmentis comparato, quo scriptor melius cognosci possit, inveni, nunc paucis vobiscum communicabo.

In operibus, quae omnium consensu rhetorica nominantur, nullam uno fortasse in Toxaride loco excepto, comicorum imitationem detegere potui.

Neque in libris, quos ipse senem se composuisse fatetur, ullum eiusmodi vestigium apparuit.

Item in satiris, in quibus certi homines aut quaedam aequalium vitia perstringuntur, comicam dictionem nusquam nisi raro inveni. Tres dialogi tamen Fugitivi, Convivium et Philopseudes sunt excipiendi, qui licet in coaevos philosophos scripti sint, comicorum tamen indolem spirare videntur.

Restabant quindecim fere dialogi, quorum argumentum Lucianus e comoedia mutuatus est, aut quorum indolem floribus ex horto Comicorum carptis hilariorem reddidit. Quibus in libris non Luciani aequales sed antiqui dei, veteres philosophiae duces, parasiti, meretrices, senes avari primarum sunt actores.

In quattuor igitur genera Luciani opera dividenda sunt:

1°. rhetorica.

2°. in quibus scriptor senectutem suam miseratur.

3°. in quibus aequales perstringuntur aut laudantur.

4°. in quibus comicae personae partes agunt.

Hisce generibus certaene aetates respondent, an omnia per totam vitam dispersa inveniuntur?

Quam quaestionem ut certius dirimam, quattuor Luciani libelli afferendi sunt, quos eo scripsit consilio, ut suam ipsius fortunam enarraret, aut ab adversariorum se crimini-

bus defenderet, aut etiam judicia antea prolata corrigeret.

Eo libello, qui *Somnium sive de vita* inscribitur, de pueritia dura disseruit, quam sub parentibus et avunculo passus erat; deinde quomodo ad artem litteram sit vocatus, sub fabulae forma narravit; postremo gloriam praedicavit, quam per longinquas regiones in rhetorica exercenda consecutus est.

In dialogo *Bis Accusato* se admodum juvenem in Ionia vixisse narrat, ubi illis temporibus Smyrnae et Ephesi rhetores summa gloria et nomine fruebantur. Annis tirocinii ibi peractis rhetoricam ipse professus Graeciam perlustravit atque Ionio mari trajecto etiam in Italia auditorum animos in se convertit. Usque ad annum aetatis quadragesimum his studiis se addictum fuisse tradit. Tum, quam inanem et turgidam artem coluisset, intellexit et ad dialogos transiit, quos Comicorum et Menippi cynici exemplo se composuisse gloriatur.

In dialogo *Piscatore* judicia, quae in illis comicis et cynicis dialogis contra venerabiles philosophos protulerat, corrigere statuit. Amicus philosophiae factus, quaecumque aequales delinquerent, se quasi censorem notaturum esse promisit.

Neque placida senectus Lucianum manebat: ex *Apologia* eum rebus angustis coactum, munus publicum ab Alexandriae praefecto petiisse discimus. Quod cum adeptus esset, maiores sibi honores delatum iri speravit, sed mox, munere cum mercede adempto, senex (Hercules 8) denuo ad rhetoricas declamationes delapsus est.

Quid nunc ex his quattuor libellis cum quattuor operum generibus comparatis colligi potest?

I. Usque ad annum quadragesimum Lucianus rhetor man-

sit. Nusquam in illius aetatis operibus, nisi fortasse in Toxaride locus comicus invenitur.

II. Tum ad comicos et cynicos dialogos transiit, ex quibus multos saltem ante Bis Accusatum et Piscatorem scriptos esse necesse est. Plerique igitur libri, quos indolem comicam spirare inveni, postquam declamationes deseruit, sed ante Bis Accusatum et Piscatorem compositi sunt.

III. Inde a Piscatore usque ad senectutem censor aequalium exstitit. Ad quam aetatem omnes satiras, in quibus aequales perstringuntur, referre velim. Ex quarum numero tres comici dialogi sunt nominandi: Fugitivi, Philopseudes et Convivium.

IV. Jam provecta aetate Lucianus ad rhetoricas declamationes rediit, in quibus nullum comicum vestigium deprehenditur.

Quattuor has aetates postquam distinximus, certius quam antea licuit, expediri potest, qui factum sit, ut judicia Luciani tam saepe inter sese certare videantur. Per primam aetatem verba ad auditorum voluntatem accommodavit; per secundam libere jocatus est, cum sua, utrum Comicorum et Menippi sententiis ipse ab omni parte adsentiretur necne, parvi interesset. Per tertiam solam ex intimo animo locutus est. Sic multis tenebris dispulsis, quae de Luciano disserere decrevi, hoc modo in quattuor partes digerere sum conatus: capite secundo pauca de indole rhetorica litterarum aevo Antoninorum florentium praefatus, strictim quaedam disputavi de opusculis, quae Lucianus ut aequales sophistas aemularetur composuit. Tertio capite operam dedi, ut quam luculentissime lectoribus ostenderem, quomodo Lucianus

Comicos et Menippum secutus e rhetore censor aequalium factus sit. Postquam deinde capite quarto opera Lucianea, quae inter omnia habenda sunt eximia, percensui, reliquum erat ut quinto capite fortunam Luciani senis miseratus de iis operibus pauca in medium proferrem, quae ob insipidam indolem a Luciano abjudicanda esse videntur. Sed antequam meum propositum exsequi adgredior, pauca de vitae tempore nobis ab antiquis tradita atque ex ipsius Luciani scriptis collecta praemittam.

4. *Posteriorum testimonia de vita ac scriptis Luciani cum indiciis ex ipsius auctoris operibus petitis comparantur.*

Aequales et eos, qui seculo proxime sequenti vitas rhetorum scripserunt, consulto nomen Luciani reticuisse, jam supra animadverti. Oblivione multatus est satiricus, quod inanem sophistarum disciplinam a se desertam perstringere ausus esset; frustra igitur nomen Luciani in Vitarum corpore quaeres, quod Flavius Philostratus seculo tertio p. Chr. n. composuit.

Sub finem demum seculi quarti Eunapium dicentem audimus: *Λουκιανὸς ὁ ἐκ Σαμοσάτων ἀνὴρ σπουδαῖος ἐς τὸ γελασθῆναι, Δημώνακτος φιλοσόφου κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους βίον ἀνέγραψεν, ἐν ἐκείνῳ τε τῷ βιβλίῳ καὶ ἄλλοις ἐλαχίστοις δι' ὅλου σπουδάσας* (Eunap. Prooem. p. 4).

Ubi Lucianum Samosatis natum aequalem fuisse videmus Demonactis, qui quo tempore vixerit, e vita eius, quam postea tractaturus sum, apparebit. Amico enim usus esse Demonax narratur Herode Attico, qui circa annum 177

obiit. Unde Demonactem eiusque aequalem Lucianum medio fere saeculo secundo floruisse patet.

Secundo loco Photius Patriarcha (Bibliotheca cod. 128) proferendus est, cuius judicium de Luciani genere scribendi — nam de tempore, quo ille vixit, tacet — tam fucatis et obscuris verbis est conceptum, ut nobis Oedipo quodam opus sit, si, quid bonus Patriarcha sibi voluerit, interpretari conemur.

Supersedeo igitur omnia haec verba religiose exscribere (cfr. Dindorfius in Prol. Luc. p. 5), sed duas tantum res attingam, quae Photium sano sensu non caruisse ostendunt. Putat et recte putat Lucianum unum ex iis fuisse, qui *μηδὲν ὅλως πρεσβεύουσι*, cuius judicii utinam nostri seculi philologi memores fuissent, qui Lucianum vel Platonicum, vel Cynicum, vel Scepticum, vel Epicureum fuisse opinabantur. Quod deinde de numero oratorio apud Lucianum perspicuo dixit, Kockio dissuadere debebat, ne tanta audacia poetis comicis fragmenta e nostro satirico petita obtruderet. Photius enim de Luciani prosa oratione loquitur: *συνθήκη τε αὐτῷ οὕτως ἥρμοσται, ὥστε δοκεῖν τὸν ἀναγιγνώσκοντα μὴ λόγους λέγειν ἀλλὰ μέλος τι τερπνὸν χωρὶς ἐμφανοῦς ᾠδῆς τοῖς ὠσὶν ἐναποστάζειν τῶν ἀκροατῶν.*

Huc postremo accedit testimonium Suidae: *Λουκιανὸς Σαμοσατεὺς ὁ ἐπικληθεὶς βλάσφημος ἢ δύσφημος, ὅτι ἐν τοῖς διαλόγοις αὐτοῦ γελοῖα εἶναι καὶ τὰ περὶ τῶν θείων εἰρημένα ὑποτίθεται.*

γέγονε δὲ ἐπὶ τοῦ Καίσαρος Τραιανοῦ καὶ ἐπέκεινα. ἦν δὲ οὗτος τὸ πρὶν δικηγόρος ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας, δυσπραγήσας δ᾽ ἐν τούτῳ ἐπὶ τὸ λογογραφεῖν ἐτράπετο καὶ γέγραπται αὐτῷ ἄπειρα.

τελευτῆσαι δὲ αὐτὸν λογὸς ὑπὸ κυνῶν, ἐπεὶ κατὰ τῆς ἀληθείας

ἐλύττησεν. εἰς γὰρ τὸν Περεγρίνου βίον καθάπτεται τοῦ Χριστιανισμοῦ καὶ αὐτὸν βλασφημεῖ τὸν Χριστὸν ὁ παμμίαρος, διὸ καὶ τῆς λύττης ποινὰς ἀρκούσας ἐν τῷ παρόντι δέδωκεν, ἐν δὲ τῷ μέλλοντι κληρονόμος τοῦ αἰωνίου πυρὸς μετὰ τοῦ Σατανᾶ γενήσεται (Suidas s. v. Λουκιανός).

Primam et ultimam partem praetereamus, quia meram Byzantinorum ineptiam spirant. Nonne canes Suidae tibi mortem alius δυσφήμου — Euripidem dico — in memoriam vocant?

Sed ad mediam transeamus partem. Lucianus vixit Trajano imperatore (98—117) et postea. Antiochiae patronus causarum erat, sed cum res ei non bene cederet, totum se litteris dedit et innumera scripta composuit.

Quae verba antequam a philologorum criminibus defendam, quinque Luciani scripta enumerabo, quae quo tempore edita sint, ex argumento efficere licet.

I. Imagines opus est compositum in honorem Pantheae cuiusdam, quae Lucium Verum imperatorem ad bellum Parthicum proficiscentem fideliter comitata est. Opus est igitur scriptum anno 162.

II. Ex Eusebio (Chron. II. p. 171 Ed. Schoene) Peregrinum cynicum anno 165 Olympiis rogum conscendisse constat. Eodem anno aut sequenti igitur scripta est Mors Peregrini.

III. Liber de historia conscribenda eo consilio scriptus est, ut rhetores, qui bellum Parthicum (162—165) enarrabant, perstringerentur. Annus editionis igitur est post 165.

IV. Vita Demonactis composita est post annum 177. (cfr. caput 4 § 4 meae dissertationis).

V. Lucianus in Alexandro (c. 48) de *divo* Marco loquitur, quae verba igitur post 180 scripta esse constat [1]).

Nunc ad Suidam et crimina virorum doctorum redeamus! Suida Lucianum ante annum 117 natum esse testante, Dindorfius dixit (Praef. Edit. Tauchn. p. VI) „id autem falsum ėst, nam quae in Luciani scriptis reperiuntur temporum notae omnes eo tendunt, ut regnante Hadriano, cuius regnum in annos cadit 117—138 natus, regnante vero Commodo ex vita excessisse videatur."

Quae autem illae „temporum notae" sint, indicare supersedit. J. Sommerbrodt (Praef. Edit. Weidm. p. 1.) de Luciano loquitur, „dessen Lebenszeit etwa von 120--200 n. Chr. fällt." Vulgaris tamen opinio est Lucianum anno fere 125 natum esse.

At quo nititur ille annus 125? Quare fides Suidae in dubium vocatur?

Audiamus verba M. Rothsteinii (Quaestion. Lucian. p. 117.): „Narrat ipse Lucianus se prope quadragenarium studia rhetorica deseruisse et scribendi illud genus, quo maxime neque sine causa gloriatur, conjunctum e dialogo philosophico et comoedia, colere incepisse et scripsit quadragenarius Hermotimum, quo in libello omnium fere maxime etiam e Platonis dialogorum imitatione pendet. Atque scripsit Peregrinum anno 165. Itaque certum est Lucianum paullo ante annum 165 ad novum scribendi genus se convertisse et anno fere 125 natum esse."

---

1) Sunt v. d. qui vitam Alexandri ante mortem M. Aurelii scriptam, postea editam esse opinantur.

Hactenus v. d. Rothsteinius! Et licet ceteri eadem argumenta non proferant, tamen ad unum omnes eidem opinioni addicti sunt.

Attamen unde sequitur, si Lucianus quadragenarius rhetoricam deseruit, et Mortem Peregrini anno 165 scripsit, eum anno 125 natum esse?

Nonne complures anni intercedere potuerunt inter tempus, quo rhetoricam repudiavit, et quo mortem Peregrini perstrinxit? Qui tandem factum est, ut nemo hoc perspexerit?

Statim causam explicabo: comicos et cynicos dialogos (Fugitivis, Convivio, Philopseudesi[1]) exceptis), quos ex omnibus Luciani operibus Kockii auxilio secrevi, eo temporis spatio scriptos esse mihi constat, quod intercedit inter declamationes rhetoricas relictas (i. e. circa quadragesimum Luciani annum) et tempus, quo Mortem Peregrini composuit (165). Sed viri docti nullum discrimen inter satiras, quae contra aequales scriptae sunt et dialogos comicos servantes secundam aetatem a me supra indicatam ignorabant, quo factum est, ut Mors Peregrini statim post declamationes relictas a Luciano fere quadragenario composita esse putaretur. Me tamen judice Lucianus per complures annos Comicos et Menippum imitatus fere quinquagenarius Mortem Peregrini anno 165 scripsit, unde eum circa annum 115 natum esse sequitur. Externo igitur Suidae documento mea conjectura de quattuor Luciani aetatibus manifeste probatur.

Pergit Suidas referre Lucianum Antiochiae patronum causarum fuisse, sed cum res ei non bene cederet, se totum

---

1) V. cl. Hartman in sua diss. recte Φιλοψευδής in Φιλοψευδεῖς mutavit.

litteris dedisse, quae verba a viris doctis aut injuria in dubium vocantur aut perverse explicantur. Quod autem Antiochiae Luciano domicilium fuisse dicit, id a plurimis v. d. pro pessimo commento habetur; at rogare velim, quid obstet, quominus ei fidem habeamus; immo ex ipsis Luciani scriptis argumentum haud contemnendum peti potest, qui, licet disertis verbis nusquam hac de re locutus fuerit, tamen in libello de Saltatione histriones et theatrum Antiochenum tam vivis coloribus pingit, ut quin ipse has scenicas actiones spectare solitus fuerit, dubitari nequeat. Nunc videamus, quae de aliis verbis v. d. proferant judicia.

Fritzschius (Ed. Luc. III. 2. LX.) dicit „ex causidico aliquamdiu rhetor, e rhetore rursum evadit satiricus", neque v. d. Chlebus in dissertatione „de Luciano philosopho" (p. 20) ab eo dissentit. Alii, quibus Meesius popularis noster facem praetulit, recte hanc explicationem damnaverunt, quia rhetores inter diversa officia, quae praestabant, etiam reorum causas suscipere solebant. Sed cum Suidae fidem denegarent, quasi omnia de suo finxisset, eorum opinio mihi reicienda visa est. Suidam enim Lucianum, postquam causidicorum artem deseruit, totum se litteris dedisse (λογογραφεῖν), indicasse conjeci.

At ipsum scriptorem consulamus!

Lucianus cum de dialogis comicis et cynicis, qui Bis Accusatum praecesserant, loqueretur, se ipsum λογογράφον nominavit (bis acc. 15). Λογογραφεῖν igitur, licet Fritzschius neget, non solum de declamationum scriptore, sed etiam de satirico dici potuit. Deinde Lucianus sic de rhetorica a se relicta loquitur καλῶς εἶχέ μοι ἀνδρὶ ἤδη τετταράκοντα ἔτη

σχεδὸν γεγονότι δικῶν ἀπηλλάχθαι καὶ τοὺς ἄνδρας τοὺς δικαστὰς ἀτρεμεῖν ἐᾶν, καὶ Διαλόγῳ συμπεριπατεῖν (bis acc. 32) et in Piscatore a Diogene se accusari fingit, quod ῥήτωρ ἀπολιπὼν τὰ δικαστήρια dialogos contra philosophos scribere coepisset. Vides ergo, lector, Lucianum 40 annos natum patronum causarum non amplius professum, ad dialogos scribendos transiisse, quod Suidas ἐπὶ τὸ λογογραφεῖν τραπῆναι vocavit.

Quae autem duabus paragraphis de Luciani vita consecutus sum, ut brevi complectar, Lucianum anno fere 115 natum, usque ad annum 155 rhetoricam disciplinam professum, deinde per annos circa decem comicos poetas et Menippum secutum, anno 165 quinquagenarium aequalium censorem factum, per plus quam quindecim annos sequentes hoc munere functum, postremo ad rhetoricas declamationes relapsum esse statuo.

CAPUT SECUNDUM.

DE OPERIBUS RHETORICIS.

1. *De studiis rhetoricis, quae Antoninorum aevo florebant.*

Jam ante quinquaginta annos v. d. Meesius dissertatione Ultrajectina *de Luciani studiis et scriptis juvenilibus* omnium primus rectam ad Luciani ingenium cognoscendum viam munivit. Optimo enim jure, tum demum de posteriorum dialogorum consilio justum fieri posse judicium intellexit, cum quae Lucianus rhetorum aemulus praestiterit, expeditum esset. Postquam igitur omnia rhetorica opera collegit eorumque argumenta explicavit, hanc omnem materiem ita uno conspectu complexus est, ut facile percipi posset, quid de Luciani juvenis studiis judicandum esset.

Intellegis, lector, quantopere dolendum sit, quod Meesius licet promiserit, nullas postea de Luciani dialogis lucubrationes in vulgus ediderit. Philologi enim, qui postea controversias de chronologia deque consilio dirimere studuerunt, variis lapsi sunt erroribus, ita ut de Luciani operum temporibus

etiam hodie magna inter viros doctos maneat discrepantia.

At priusquam Meesio duce ad Luciani opera juvenilia accedimus, strictim pauca dicenda sunt de litteris, quas rhetores Antoninorum aevo exercere solebant.

Haud multum, ut rem paullo altius repetam, a vero aberrabimus, si Graecorum litteras simul cum politica libertate civibus adempta pristinam vitam ac vigorem amisisse statuemus. Cum Alexandriam, ubi Ptolemaei litteris ac disciplinis favebant, Musae demigrassent, non amplius simplicia et venusta, sed docta et obscura paene omnium poetarum erant carmina.

Primo tamen p. Chr. n. seculo per omnes regiones, ubicunque graeco sermone utebantur homines, nova alacritas et studium exortum est, maximaque diligentia antiquorum imitati sunt exempla. Domitiani et Trajani temporibus Dio Prusaeus vigebat, qui ethicis praesertim declamationibus per totum terrarum orbem habitis artem profitebatur rhetoricam et Plinius Secundus circa annum 100 Romae Graecos rhetores audiens Isaeum quasi perfectum oratorem laudat (Ep. II. 3). Ad summum vero haec studia pervenerunt Hadriano Graecorum fautore ad imperium vocato, cum latini poetae, qui nonnullis decenniis ante in aula praesertim Domitiani vixerant ad unum omnes mortui, nullum, qui sibi succedere posset, reliquissent.

Imperatore praeeunte, quicumque culti haberi volebant, graece scribere atque confabulari sedulo didicerunt. Claudius Aelianus, Praenesti sub ipsius Romae moenibus natus, Favorinus ab Arelate Gallica urbe oriundus huic rei studuerunt, ut propter opera, quae Graece scripserant laudarentur;

in Graecorum enim rhetorum numerum referri eis jucundissimum videbatur praemium. Ipsae feminae in quotidiano epistolarum usu latine scribere spernebant, ut Apulei Apologia testatur, ubi passim graeca fragmenta ex Pudentillae uxoris epistolis sumpta afferuntur.

Neque solum sermonem graecum imitabantur Latini, sed in argumentis eligendis Graecorum secuti sunt exempla. Apuleius, ut iterum illum Luciani aequalem proferam, fabulas, quae in Metamorphoseon libris leguntur, magnam partem a Lucio Patrensi, homine Graeco, mutuatus est; in commentationibus autem, quas de philosophia composuit, quin Graecos magistros ante oculos habuerit, a nullo in dubium vocatur.

Quibus ex rebus Antoninorum aevo litteras Graecas non solum in Oriente et in Graecia, sed ubicunque terrarum cultiores homines erant, dilectas et maxime fuisse aestimatas facile intellegimus.

Quae vero his rhetoricis litteris natura, quale ingenium fuit?

Rhetores quamvis reorum causas atque publicas legationes recipere non recusarent, illud tamen genus dicendi maxime colebant, quod non tam in rerum usu et veritate, quam in oratoriae facultatis exercitatione et ostentatione versabatur.

Duo praesertim genera ἐπιδεικτικὰ in usu erant.

Romani, natura ad lites dirimendas nati, fictas causas disceptare amabant (consulas, quaeso, Controversias Senecae rhetoris, et declamationes pseudoquintilianeas); Graeci rhetores magna voluptate in maiorum virtutibus laudandis morabantur.

Ipse Lucianus nobis tradidit, quam frequenter clara Salaminis et Marathonis nomina has sophistarum declamationes illustrare solerent. Vel adeo ad eam putidam atque praeposteram imitationem progressi sunt, ut ipsa antiquorum auctorum opera retractare et si possent, superare conarentur. Aelius Aristides, rhetor Luciani aequalis, declamatione πρὸς Λεπτίνην inscripta Demosthenem, Isocratem oratione sua Panathenaica antecedere studuit.

Ante omnes antiquos Isocrates, a quo via ad rhetoricas exercitationes patefacta esset, laudibus efferebatur. Flavius Philostratus (Vitae Soph. I, p. 21) vitam eius enarravit atque Aristides eum nominat τινὰ τῶν ἐλλογίμων καὶ παλαιῶν σοφιστῶν, unde simul apparet Antoninorum aevo inter nomina rhetoris et sophistae omne discrimen esse sublatum. (Cfr. Praef. Vit. Soph. Flavii Philostr.)

Vides ergo — postea enim apud Lucianum eundem viguisse morem apparebit — sophistas non magis nova argumenta e suo finxisse ingenio, quam exempla a maioribus tradita imitando refecisse.

Unum tantum litterarum genus, quod apud Atticos scriptores frustra quaeritur, magno studio a rhetoribus excolebatur. Prima enim specimina fabularum fictis amatorum et peregrinatorum casibus refertarum, quas patrio sermone *novellen* vocare solemus, in rhetorum operibus inveniuntur. Jam apud Dionem Prusaeum in oratione, quae Euboica inscribitur, lepidissima narratur fabula, ubi simplex rusticorum vita tam fideliter depingitur, ut infra optima recentiorum temporum specimina judicari nequaquam debeat. Ipse Lucianus dialogo Toxaride decem e vita Graecorum et Scy-

tharum petitas fabulas ita narravit, ut verba optime ad utriusque nationis mores accommodata esse videantur. Inspicias, lector, fabulam eroticam (Tox. 13—17), ubi malae cuiusdam uxoris artes describuntur, quae conscio marito divites juvenes ad domum suam allicere solebat, et nisi certo scires te Lucianum in manibus tenere, fabellam a Boccacio narratam te legere putare posses. Neque in Romanorum sophistarum declamationibus desunt fabulae quae eandem eroticam naturam spirant; Friedländerus (S. G. III, 370) exempli gratia quasdam fabulas, quae in „Gestis Romanorum" (i. e. corpus fabellarum latinarum medio aevo compositum) leguntur, originem duxisse a Senecae rhetoris controversiis ostendit. Deinde ad idem genus referendae sunt Metamorphoses Apulei et Asinus Lucianeus, de quibus operibus postea disseram.

Ut paucis, quid de sophistis eorumque studiis mihi statuendum videatur, complectar, censeo eos magis vituperatione quam laude esse dignos; nam nihil faciebant quam exempla antiquorum serviliter imitabantur, et cum fabulam eroticam prosa oratione narrare coepissent, in primis huius novi itineris subsistebant initiis; ea tamen vitia, quibus obnoxii videbantur, non potius ipsis tribuenda esse opinor, quam temporibus, cum omnes Graecorum artes totumque eorum ingenium marcescere et interire coepissent.

2. *De Luciani operibus rhetoricis annotationes variae.*

Nunc ad Luciani artem rhetoricam transeamus, investigantes, quibus exercitationibus ingenium suum excoluerit

et quatenus in argumentis tractandis aequalium oboediverit voluntatibus.

Solebant et alii sophistae et Lucianus, antequam declamationem ad populum incipiebant praefationes sive *προλαλίας* praemittere, in quibus plerumque fabella mythologica vel historica ad sequentis declamationis argumentum aut ad oratoris personam transferebatur. Ex quo litterarum genere supersunt *Herodotus*, *Harmonides*, *Scytha*[1]) et *Electron*.

Quattuor libri referendi sunt ad declamationes sive *μελέτας*, in quibus praesertim exercitationibus sophistae se jactare solebant, quarum unam quasi perfectum exemplum paucis enarrabo: „filius quidam a patre abdicatus medicinae studere coepit. Cum postea patrem aegrotantem medici sanari posse negarent, filius ad lectulum vocatus salute allata cum patre rediit in amicitiam. Mox noverca tam gravi morbo laborante, ut omnes desperarent, pater filium ut iterum mederetur rogavit. Cum vero is quoque medicinam adhibere non auderet, denuo a patre est abdicatus." Quam secundam abdicationem pater salvis legibus pronuntiare potuerit necne, scriptor disceptari fingit.

Praeter illum *filium abdicatum*, quod argumentum etiam apud Senecam rhetorem (4.5) invenitur, alibi quoque Lucianus ostendit, quantopere in controversiarum genere excelleret. Extat enim *Tyrannicida* frequens in rhetorum scholis declamatio (cfr. Seneca 1.7, 2.13, 3.6, 4.7 et Dial. de Orator. 35:

---

1) Si in re incerta judicium ferre licet, fortasse Scytha una cum Toxaride et Anacharside a Luciano est editus. E secunda aetate nobis superest praefatio „Zeuxis", e quarta „Hercules", „Dionysus" et fortasse „Dipsades".

„Tyrannicidarum praemia aut quidquid in schola quotidie agitur": Lucian. de saltat. 65 τῶν μελετῶν πρόσωπα.... τυραννοκτόνοι) atque duae πονηραὶ sive ἄδοξοι ὑποθέσεις [1]), in quibus ipsa deterior causa oratoriae facultatis laudem augere solebat. Ut enim alii rhetores Clytaemnestram et Busiridem quasi virtutis exempla laudabant, sic Lucianus *Phalaridem* ferum Agrigentinum tyrannum praedicare sibi proposuit. In *altero* deinde *Phalaride* Delphicus quidam sacerdos pro accipiendo dono a nefario tyranno suis civibus et Apollini oblato, suasoriam habuit.

Sedatiore stylo, qui magis cum ethica disputatione conveniebat, scriptus est liber *de non temere credendo delationi*, quod opus pro rhetorica declamatione habendum esse neque pro defensione, qua propriam causam Lucianus adversus inimicorum calumnias tueri studuerit, languida dictio et loci communes lucide demonstrant.

Etiam grammaticas nugas Lucianus in *judicio vocalium* rhetorice ornavit, ubi litteram σ inimicam τ accusare fingit βίας καὶ ἁρπαγῆς, ἀφῃρῆσθαι λέγουσαν πάντων τῶν ἐν διπλῷ ταῦ ἐκφερομένων.

„Quid," ita interpellantem mihi videor audire lectorem, „tu omnia, quae Lucianus rhetor composuit, scripta colligere eorumque argumenta exponere aggrederis, quasi a Meesio hoc opus non ad exitum sit perductum"?

Minime vero, de iis modo controversiis, quas de consilio scribendi philologi moverunt, disputabo.

---

1) Cfr. L. Cresollius, Theatrum veterum Rhetorum, Parisiis 1620. (p. 204) qui liber ad sophistarum studia cognoscenda etiam hodie est utilissimus.

Rhetores, cum ad populum prodirent, non quae ipsi sentirent, in declamationibus enuntiasse sed judicia accommodasse ad arbitrium multitudinis, e re ipsa intelligitur. Itaque factum est ut, cum Lucianus *patriae laudem* celebrare sibi proposuisset, verba eius non ex intimo cordis affectu fluerent, sed, quae ab auditoribus requiri sciret, quasi sibi propria fingeret. Difficile ergo creditu, non paucos apud Germanos inventos esse viros, qui, cum patriae laudem ante oculos haberent, Lucianum quasi perfectum civem praedicarent et diligerent. Wieland (in Luc. versione V. 379) declamationem appellat: „Eine reife und edle Frucht seiner spätern Jahre, mehr ein Werk des Herzens als des Witzes", quocum conveniunt verba Jacobi (Char. Luc. p. 39) „die Innigkeit, welche darin fern von allem Redeprunke herrscht, stellt es den edelsten Herzensergiessungen alter und neuer Schriftsteller über diesen edelsten Gegenstand nicht Unwürdig an die Seite."

Quis tamen, qui non plane rudis sit in Luciani scriptis, verba ex animi sententia profecta esse putet, qualia sunt: *εἰ δὲ θεοῖς τίμιον τὸ τῆς πατρίδος ὄνομα, πῶς οὐκ ἀνθρώποις γε πολλῷ μᾶλλον;* neque viro, qui per omnes terrae regiones errare solebat, terrorem incutere poterat *τὸ μετὰ θάνατον ἐν ἀλλοτρίᾳ κεῖσθαι γῇ.* Neque audaciae mihi videor accusandus esse, si Luciani non multum interfuisse contendo, utrum patriam laudaret, an — ut rem minimi pretii dicam — *Muscae honorem*[1]) ad rhetoricam recitationem adornaret.

At de philologis, qui, quae Lucianus rhetor elocutus est,

1) Dio laudavit psittacum, Favorinus culicem, Clitarchus teredinem, Polycrates mures.

ad verbum intellegerent, jam satis dixi, et ad alium errorem, qui multo magis est notandus, pergo.

Duobus libellis, quibus nomina *de Balneo* et *de Domo* sunt indita, Lucianus aedificia ad publicum usum recens aperta propter ambitum et splendorem eximiis cumulavit laudibus. Quae opera non dubito quin, ut hodie in nostris diurnis commendationes leguntur, pacta mercede composita sint. Prorsus alia ratione Germani, praesertim aetatis praecedentis, quod consilium in scribendo secutus sit rhetor explicaverunt. V. d. Jacobus (p. 128) dicit: „auch wollte er zugleich die traurige Gewohnheit seiner Zeitgenossen Schätze aufzuhäufen unvermerkt verspotten".

Fac Luciano juveni luxum et aedificiorum ornamenta displicuisse, ita ut aequales ad simplices maiorum mores revocaret, quaenam res eum impediebat, quominus, quae sibi notanda viderentur, libere improbaret? Non hercle is erat Lucianus, qui, quae vituperanda duceret, reticeret et implicite castigaret, sed omni scrupulo liberatus, ut postea videbimus, in aequalium errores invectus est.

Neque veteriores tantum ut Jacobus illam „latentem satiram" in deliciis habebant, hodie quoque inter Germanos ille error floret vigetque. Inspicias, quaeso, Graecorum historiam sub Romanorum dominatione a v. cl. Hertzbergio scriptam (II. 508) et talia verba invenies: „Lucian wollte in dieser Schrift (loquitur de libro *de Saltatione*) wieder einmal einen blendend scharfen Spiegel einer heillos verkehrten Zeitrichtung vorhalten". Nuperrime v. d. Richardus [1]) haec scripsit

1) W. Richard, Ueber die Lykinusdialoge des Lucian.

p. 36: „Lucian wollte in diesem Tone schreiben um durch Nachahmung und absichtliche Uebertreibung die Schriftsteller zu verspotten, in deren Lobschriften über die Pantomimik die seltsamsten Dinge vorkamen." Quo autem argumento hanc satiricam dialogi indolem comprobare vellent, viri docti indicare supersederunt et mihi nondum apparuit. Immo pro certo affirmare audeo dialogum, quo Lucinus, (sub qua persona ipse Lucianus latet) artem saltationis a Cratonis cuiusdam criminibus defendere fingitur, non satiram fuisse sed potius ad sophisticarum laudationum esse referendum genus. Si enim Lucini verbis credere licet, mimica ars prae tragoedia et comoedia et gymnastica disciplina multum excellit atque una est ad hominum mores conformandos efficacissima. Alia res quoque nobis suppetit, quae, quanti Lucianus artem mimorum fecerit, lucide declarat; in altera enim dialogi parte longam fabularum mimicarum seriem diligenter enumerat, ubi scriptor nos docet, quascumque fabulas poetae epici olim cantaverant, pantomimos Antoninorum aevo ut saltando exprimerent studuisse. Qua in arte quantum scenicis ornamentis adjuti consecuti sint, facile apparere potest ex ornatissima descriptione, quam Apuleius in Metamorphosibus (X. 29—33) de fabula Paridis Judicio nobis dedit.

Egregie igitur fallitur v. d. Schulzeus[1]), qui, cum nostram declamationem ab Luciano abjudicaret, sic scripsit: „Es liegt auf der Hand, dass so seltsame Ansichten im Tone der Ueberzeugung vorgetragen, dem von Jugend auf mit griechischer Litteratur beschäftigten aufgeklärten Lucian

1) Cfr. Fleck, Jahrb. 143, p. 823.

nicht in den Mund gelegt werden können." At rogo te, vir doctissime, unde tibi notum est Lucianum a tenera juventute religionem traditam et rhetoricam disciplinam sprevisse et risui tradidisse omnium? Cognitum habebas, Lucianum satiricis praesertim operibus nomen debuisse et cum in dialogum incidisses, ubi scriptor, quae alibi deridere solebat, palam laudavit, statim illud paratum remedium quaesisti, ut opus pro subditicio judicares. Nonne humanae naturae magis est conveniens, ut quae juvenes dileximus et magni habuimus, posteriore tempore meliora docti spernere et tamquam falsa abjicere cogamur?

Atque de Saltatione haec quidem hactenus! Occultam satiram v. d. Richardum (p. 32) in *Hesiodo* rimari nullum jam puto esse, qui miretur; nam paene incredibile est, quam longe haec perversa interpretandi ratio serpserit. Contendit autem ille vir doctus, Lucianum nostro dialogo invectum esse in „die übermässigen Bewunderer des Homer und Hesiod, die, denen, welche auch nur das geringste zu tadeln hatten, Mangel an Verständniss für poetische Freiheit vorwarfen." Quae nova interpretatio, praeterquam quod illa latens satira in universum mihi improbanda videtur, cum ipsis scriptoris verbis aperte pugnat; nusquam enim Lucianus antiquorum poetarum religiosos admiratores cavillatur, sed potius Alexandrinos criticos ob ineptam doctrinam eludit, quia *λεπτὰ οὕτω κομιδῇ καὶ μάλιστα μικρὰ ἄττα διεξίασι* (5). Etiam postea Ver. Hist. II, 20 loquitur de *Ζηνοδότου καὶ Ἀριστάρχου ψυχρολογίᾳ*.

Potius fecerim cum illis viris, qui ut Sommerbrodt dialogum propter „die schwerfällige Weitschweifigkeit" (Ed.

Weidm. Praef. XX) a Luciano abjudicant. Byzantinus Scholiasta ad titulum adnotat: οὗτος ὁ λόγος ἐνδεῖ τῆς τοῦ Λουκιανοῦ ἰδέας καὶ ἀγχινοίας. Cum tamen in libro „de delatione" et in „judicio vocalium" eundem inanem verborum tinnitum inveniam, de authentia Hesiodi certam opinionem enuntiare non audeo.

Denique. ne de sophisticis operibus diutius disseram, nullus jam dubito, quin Lucianus per totam juventutem aequalium studiis obsecutus ipse ad eorum exemplum vires excoluerit, unde simul patet perversas eorum esse opiniones, qui, cum crescens scriptoris ingenium persequi praetermiserint, ubique idem satiricum dicendi genus exspectent.

Ad aliam nunc transeamus quaestionem, quae, licet ob tempus, quo liber est scriptus (anno 162) in capite sequenti demum tractari deberet, tamen propter argumentum ad rhetoricas laudationes pertinet.

Saepe philologi, cum in controversiis Lucianeis vires ostendere vellent, summa audacia homines, de quibus nihil esset notum, pro iisdem habuerunt, qui aliunde nobis innotuerunt, e. g. Fritzschius Nigrinum, qui ficta persona esse videtur, pro Albino Galeni magistro nobis venditavit. Contrarium errorem, quo res ab omni parte verisimilis levissimas ob causas in dubium vocatur, videmus in quaestione, quam nunc proponere velim. Contendo enim Lucianeo dialogo, cui nomen est *Imagines*, non fictam quandam feminam ab auctore esse laudatam, sed Pantheam ibi memoratam, eandem fuisse, quam Marcus Aurelius in commentariis suis (VIII, 37) commemorat. Quam opinionem si probavero, simul spero fore ut causa diluatur, qua et alii et Bekkerus dialogum pro spurio judicarunt.

Disputationem incipiam a Marco Aurelio, qui de misera hominum conditione sic lamentatus est: μήτι νῦν παρακάθηται τῇ τοῦ κυρίου σορῷ Πάνθεια ἢ Πέργαμος; τί δέ, τῇ Ἀδριανοῦ Χαβρίας ἢ Διότιμος; γελοῖον. τί δέ, εἰ παρεκάθηντο, ἔμελλον αἰσθάνεσθαι; τί δέ, εἰ ᾐσθάνοντο, ἔμελλον ἡσθήσεσθαι ..... γράσος πᾶν τοῦτο καὶ λύθρον ἐν θυλάκῳ. Unde Pantheam erga dominum, quoad ille vivebat, fidelem fuisse, post eius mortem non semper luxisse apparet, neque Marcus eam nominare poterat, nisi illis temporibus quasi pietatis exemplum cognita fuisset.

Nunc ad Lucianum revertamur, qui (Imaginum initio) in aliqua Asiae[1]) urbe venustam feminam, quam magna satellitum caterva comitabatur, se vidisse dicit. Amico, mulieris nomen sciscitanti, respondit ὁμώνυμος γάρ ἐστι τῇ τοῦ Ἀβραδάτα ἐκείνῃ τῇ καλῇ. οἶσθα πολλάκις ἀκούσας Ξενοφῶντος ἐπαινοῦντος τινὰ σώφρονα καὶ καλὴν γυναῖκα (10). Ex Cyropaedia (VI. 4) autem discimus uxorem Abradatae fuisse Pantheam propter amorem erga maritum a Xenophonte laudatam.

Ultro se offert quaestio, utrum sub his verbis ficta an vera persona lateat. Adeamus ipsum Lucianum et rogemus, num in aliis quoque operibus eodem modo aequales designaverit. Neque frustra quaesivi: in fine dialogi, qui Rhetorum Praeceptor inscribitur, eadem circumitione, ut aequalem adversarium significaret, usus est, ubi ille inimicus ὁμώνυμος Jovis et Ledae pueris vocatur. Nihil ergo obstat, quominus Pantheam verum feminae nomen fuisse putemus.

---

1) Secundum Rothstein (p. 118) Antiochiae, secundum Friedlaender (S. G. I, 2, 94) Smyrnae Pantheam vidit Lucianus.

At dicat quispiam, quaenam erat causa, ut nomen tam circumscripte indicaret. auctor?

Ipse Lucianus suam rationem explicare voluit, cum feminam τῷ βασιλεῖ συνεῖναι (Imag. 10) adderet. Scriptorem veritum, ut regi aperta nomina placerent, prudenter, quam voluerit, indicasse, facile intellegas.

Ut paucis memoria repetam, quae hucusque collegi, statuendum est Marcum Aurelium Pantheam quandam propter amorem in dominum omnibus notam nominasse; deinde legimus Lucianum feminam eiusdem nominis in urbe Asiatica vidisse, cum regem, cuius amica esset, fideliter comitaretur; postremo ex historia notum est Lucium Verum, cum ad bellum Parthicum proficisceretur, per quoddam tempus in provincia Asia moratum esse et cum in Syria bellum gereret, secum habuisse amicam.

Itaque licet nondum manifestum sit, omnia, quae attuli, ad eandem feminam referenda esse, magnam tamen veri speciem prae se fert opinio Scholiastarum, qui de nostro libro scribunt: εἰς Πάνθειαν τὴν Σμυρναίαν, γυναῖκα δὲ Οὐήρου τοῦ Χρηστοῦ Καίσαρος, ἔπαινός ἐστιν. (In codice Marciano 434 etiam additur: ἧς καὶ Μάρκος ὁ Καῖσαρ ἐν τοῖς εἰς ἑαυτὸν ἠθικοῖς μέμνηται). Neque intellego, cur Brunsius[1]) et alii coniecturam Salmasii a Nauckio paululum correctam respuant, qui pro τῇ τοῦ κυρίου feliciter proposuit τῇ Οὐήρου, (Marc. Aur. VIII. 37) quam emendationem structura periodi tantum non flagitat.

Quid autem Lucianus hac laudatione scribenda sibi pro-

---

1) Cfr. Mus. Rhen. 1888. Bruns. Luk. phil. Satiren.

posuerit, e paragrapho 17 fortasse effici potest; qui locus apud scriptorem solus invenitur, ubi cum observantia de Romanorum populo verba facit. Verisimile ergo mihi videtur, Lucianum Imagines anno 162 eo composuisse consilio, ut per gratiam L. Veri quoddam beneficium sibi impetraret.

Ad finem perduxi, quae de rhetoricis Luciani studiis in medium proferre habebam; id solum superest, ut indagemus, quae opera, licet ad primam pertineant aetatem, aliqua tamen ex parte cum posterioribus comparanda sint.

In *Anacharside*, quo dialogo Solon [1]) Graecorum artem gymnasticam a Scythae cavillationibus tuetur, sub barbari hominis conviciis sententias Luciano gratissimas audire mihi videor. Hic tamen fortasse me interpellet lector, „internecivum tu satirae latenti bellum indixisti, et nunc, cum tibi opus est, turpes facis indutias!" Quam suspicionem in me cadere concedo; quodsi tamen Lucianum eadem, quae Anacharsis in nostro dialogo deridet, eodem tempore alibi suo nomine contempsisse demonstravero, nonne injuria videbor crimine accusatus esse inconstantiae?

In Herodoto (8), quam praefationem inter alias supra enumeravi, rhetores longe athletis anteponit (*συρφετώδης ὀχλὸς ἀθλητῶν*) et in dialogo de Saltatione (71) multo magis actionem mimicam spectare vult, quam *πυκτεύοντας νεανίσκους ὁρᾶν καὶ αἵματι ῥεομένους καὶ παλαίοντας ἐν κόνει.*

Verum non solum Lucianus rhetor corporis exercitationes

---

1) Solon tamen huic officio non apta persona videtur; legitur enim apud Diodor. IX, 5: *ὁ Σόλων ἡγεῖτο τοὺς μὲν πύκτας καὶ σταδιεῖς καὶ τοὺς ἄλλους ἀθλητὰς μηδὲν ἀξιόλογον συμβάλλεσθαι ταῖς πόλεσι πρὸς σωτηρίαν.*

minimi facit, postea, cum a Menippo placita cynicorum mutuatus esset, robusta corpora mente tamen destituta ad nullam rem prodesse censuit[1]) (cfr. Dial. Mort. 10, Charon 8, ubi Milon Crotoniates ludibrio habetur). Quae deinde ab Anacharside de Spartanorum rigida educatione (38, 39) dicuntur, optime cum urbana Luciani natura conveniunt, ita ut vix a vero aberrem, cum Anacharsidem primum scriptoris opus esse statuo, cui satiricam naturam jure tribuere possimus.

Multo tamen maioris momenti est controversia, utrum Lucianus in *Toxaride* comicum exemplum secutus sit, an populares fabulas, quae in omnium ore circumferrentur, ad rhetoricas recitationes exornaverit, qua de quaestione, cum tamquam velitatio ante tertii capitis pugnam habenda sit, singulari disceptabitur paragrapho.

Antequam vero ad hanc disputationem transeo, seriem fabularum in Toxaride[2]) a Graeco et a Scytha narratarum hic subjungam, ut indolem fabellarum, quas rhetores tractare amabant, cognoscatis:

12—19 fabella erotica de Agathocle, qui amico Diniae fallacem feminam misere amanti, fideliter adest.

19—22 fabella de amico, qui sodalem e naufragio servat.

22—24 fabella de Eudamida, qui matrem suam uni amico alendam, alteri filiam collocandam testamento commendat.

---

1) Galenus, Luciani aequalis, scripsit (ad Thrasyll. 41): *σκάπτειν καὶ θερίζειν ἅπαντά τε τἄλλα κατὰ φύσιν ἐργάζεσθαι κρεῖττον ἢ κατὰ παλαίστραν γυμνάζεσθαι.*

2) J. Guttentag (De subdito dialogo Toxaride) hunc librum propter compositionis vitia temere a Luciano abjudicavit.

24—27 fabella erotica de quadam deformi puella Massiliensi, quae cum patris sui amico feliciter matrimonio conjuncta est.

27—35 fabella de Antiphilo, qui Demetrio amico in carcerem conjecto omni modo opitulatur.

Quinque de amicitia Scytharum fabulae magis incultae nationis moribus sunt adaptatae, ubi sodales in bello, in venatione, ex incendio se invicem servavisse narrantur. Tertia praesertim fabula ad Scytharum instituta cognoscenda est perutilis, ubi e. g. „electio sponsi" secundum barbarorum ritum describitur.

3. *De Toxaridis fabula prima et de ratione, qua v. cl. Kockius comicos versus restituit.*

Jam supra cum in universum de sophistarum litteris sententiam exponerem, animadverti inter Toxaridis fabulas unam (12—19) inveniri, quae, si ad argumentum spectas, optimo jure cum posteriorum temporum fabellis („Novellen") comparari possit.

In qua fabula cum v. cl. Kockius [1]) pauca verba invenisset, quae etiam in *duabus* diversis Alciphronis litteris (3. 50 et 3. 62) leguntur, utramque narrationem ex eodem comico fonte fluxisse putavit et ex dispersis partibus antiqua fragmenta restitutum ivit.

Rationem autem et argumentationem huius viri docti exploremus, ab Alciphrone profecti, qui rhetor comicorum

---

1) Cfr. Mus. Rhen. 1888.

scenas in epistolarum formam transtulit, sed etiam Luciani scrinia compilasse a nonnullis v. d. dicitur. Quod crimen quatenus verum sit inquirendo, judicium de Toxaridis quaestione faciam; nam si Alciphron Lucianum secutus est, tota illa Kockii ratio, qua utrumque scriptorem inter se comparans comicum fragmentum restituere studuit, corruere debet.

Ceteros igitur locos, ubi Alciphron ad Luciani argumentum respexisse arguitur, ordine exponam.

Initio dialogi Lucianei Galli Micyllus sutor, cum splendidam divitis coenam, cui pridie adfuerat, in somnio videret, gallicinio experrectus cum gallo domestico de hominum diversa sorte amplum sermonem habuit. Apud Alciphronem (3.10) somnium fossoris cuiusdam, qui ab Atheniensium populo dux designari sibi visus est, improbi galli voce dispellitur. In utraque igitur narratione gallus dominum somniantem ad quotidianas vitae molestias revocat, sed quia nihil praeterea utrobique evidenter congruit, utrum Lucianus exemplum Alciphronis fuerit, an uterque ex eodem fonte hauserit, an nulla potius necessitudo inter eos intercedat, discernere non licet.

Deinde Convivium Lucianeum et Alciphronis epistola 3. 55 viris doctis e. g. Fritzschio [1]) tantopere convenire videntur, ut hanc pro „brevi adumbratione" illius habeant. Paulo accuratius descriptionem, quam dedit uterque, observemus. Lucinus (apud Lucianum) amico Philoni occurrens, se cuidam convivio interfuisse narrat, quod Aristaenetus, cum filiae nuptias ageret, splendide apparavit. Complures

1) Cfr. Ed. Luc. Prol. ad Conv.

ibi philosophos et homines litteratos, cognatorum tamen vix unum et alterum invenit. Lepide deinde omnium risui tradit, quae a sapientibus, qui palam continentiam et simplicitatem simularent, avide, arroganter, impudice perpetrari viderat. Usque eo, quid se deceret, obliti erant, ut cum vino incaluissent, tamquam homines ex infima plebe rixarentur et sibi vulnera infligerent.

Apud Alciphronem (3. 55) parasitus ad amicum scribit Scamonidem dominum suum, cum diem natalem filiae celebraret, multos ex Atheniensibus, qui divitiis et genere praestarent, ad coenam vocavisse et ut festum ab omni parte esset perfectum, *etiam* philosophos adsumpsisse. (ᾠήθη δεῖν καὶ τοὺς φιλοσόφους κοσμῆσαι τὴν εὐωχίαν).

Statim animadvertatis velim, quanto verisimilior illa parasiti sit epistola quam narratio Lucianea. Quis enim credat Aristaenetum, cum filiam in matrimonium daret, philosophos affinibus anteposuisse? Scamonidem vero natalium splendorem praeter alios etiam philosophos vocando augere voluisse, facile credimus. Ergo vix est verisimile ad Luciani exemplum Alciphronem imaginem suam adumbrasse, quia huius epistola multo probabilior est quam Convivii illius descriptio.

Nullane igitur necessitudo inter utrumque rhetorem interest?

Minime vero; quae deinde Alciphron de philosophorum insolentia tradidit, ex uno ac eodem fonte fluxisse statuo, unde Lucianus partem saltem narrationis mutuatus est.

Inspicias modo, quae uterque de cynico quodam narrat et mihi concedes similitudinem non fortuitam hic inveniri.

Qui apud utrumque scriptorem postquam invitus in domum irrupit, tam impudice se gessit, ut omnibus ruborem incuteret. Alc. enim in Epist. fine scripsit: ὁ κύων δὲ πρῶτα οὔρει κατὰ τὴν κυνικὴν ἀδιαφορίαν, quocum conferas Conv. 35 ὁ δὲ θαυμάσιος Ἀλκιδάμας καὶ ἐούρει ἐν τῷ μέσῳ, οὐκ αἰδούμενος τὰς γυναῖκας. Alc. iterum in fine epistolae: ἔπειτα καὶ Δωρίδα τὴν μουσουργὸν οἷος ἦν ἐν ὀφθαλμοῖς ἁπάντων ἐνεργεῖν, quocum conspirant verba apud Luc. Conv. 46 κατελήφθη Ἀλκιδάμας τὴν αὐλητρίδα ἀπογυμνῶν καὶ πρὸς βίαν συνενεχθῆναι αὐτῇ σπουδάζων.

Etiam manifestius, quid rationis inter utrumque intercedat, nomen cynici indicat, qui apud Alciphronem Pancrates vocatur, a Luciano vero, qui philosophum παγκρατιάζειν facit (Conv. 19) in Alcidamanta mutatur.

Vides ergo Alciphronem non Lucianum secutum esse, sicut Fritzschius opinatus est, sed illa parasiti ῥῆσις, quam Alciphron ad comici alicuius exemplum presse refecit, aut a Luciano, ut aequales philosophos perstringeret, libere mutata et aucta est,[1]) aut, quod mihi verisimilius videtur, Cynici tantum personam satirico praebuit.

Nunc ad Toxaridem revertamur, et, quae necessitudo in hac quoque fabula Luciano cum Alciphrone intercedat, videamus. In convivii descriptionibus argumenti similitudo me movit, ut communem admitterem fontem, hic vero paucorum verborum apud Lucianum et in duabus diversis Alciphronis epistolis (3. 50 et 3. 62) inventorum congruentia Kockium, ut communem originem his locis tribueret, impulit.

Inspiciamus autem, quae convenire contendit:

---

1) Etiam Menippi Συμπόσιον philosophorum Lucianus sequi potuit.

Tox. 13. *γραμμάτειά τε εἰσεφοίτα αὐτῷ παρὰ τῆς γυναικὸς καὶ στέφανοι ἡμιμάραντοι καὶ μῆλά τινα ἀποδεδηγμένα καὶ ἄλλα, ὅποσα αἱ μαστροποὶ τοῖς νέοις ἐπιμηχανῶνται.*

Alciphron 3. 62. 2. *οὐ γὰρ βούλομαι χείρων φανῆναι τῶν κυνῶν, αἳ τῶν τρεφόντων προφυλακτοῦσι καὶ κήδονται. μοιχὸς πολιορκεῖ τὴν οἰκίαν καὶ πρὸς τοῦτον γραμματείδια ὁσημέραι φοιτᾷ δίθυρα παρὰ τῆς γαμετῆς τοῦ τρέφοντος ἡμᾶς καὶ στέφανοι ἡμιμάραντοι καὶ μῆλα ἀποδεδηγμένα.*

Licet Kockio concedam, nusquam in Graecorum et Latinorum litteris, nisi his duobus locis illas semiflaccidas corollas inveniri, graviora tamen obstant, quominus unum ac eundem fontem admittam. Apud Lucianum sermo est de uxore, quae conscio marito imprudentem juvenem amore sibi devinxi; apud Alciphronem vero fidelis parasitus consuetudinem, quam domini uxor cum adultero clam contraxi detegere vult patrono.

Deinde comparat Kockius:

Tox. 15: *τὰ μὲν γὰρ δῶρα οὐ κατὰ μῆλα καὶ στεφάνους ἀντεδίδοτο αὐτῇ ἀλλὰ συνοικίαι ὅλαι καὶ ἀγροὶ καὶ θεράπαιναι..... ἐν βραχεῖ ὁ Λύσωνος οἶκος ὀνομαστότατος τῶν ἐν Ἰωνίᾳ γενόμενος ἐξήντλητο ἤδη καὶ ἐξεκεκένωτο.*

Alc. 3. 50: *οὐ γὰρ δαπανᾶται εἰς αὐτὴν χρυσίον μόνον, καὶ ἀργύριον ἀλλ' ἤδη καὶ συνοικίας καὶ ἀγρούς. . . . ἐγὼ δὲ ὀδυνῶμαι τὴν καρδίαν ὁρῶν ὑπορρέοντα τοσοῦτον πλοῦτον, ὃν οἱ μακαρῖται αὐτῷ Λυσίας καὶ Φανοστράτη κατέλιπον.*

Argumenta admodum similia sunt; apud utrumque juvenis amicae non parva munera sed *συνοικίας καὶ ἀγρούς* donat, cum apud Lucianum Lysonis *οἶκος*, apud Alciphronem Lysiae *πλοῦτος* interit.

At Kockium rogare velim, num juvenis, qui omnia paterna bona in meretricem prodegerit, tam singularis persona in fabula erotica putandus sit, ut, si duo scriptores de eo paene iisdem verbis loquantur, ex eodem fonte argumentum hausisse debeant.

In Convivii igitur descriptionibus ratio, quae inter Lucianum et Alciphronem intercedebat, Kockii argumentationi favit, hic tamen congruentia constat in paucis verbis, quae non in una Alciphronis epistola, sed in duabus diversis inveniuntur.

Quid igitur statuendum est?

Aut nulla inter duos rhetores est necessitudo — sed hoc vix credibile — aut illi *στέφανοι ἡμιμάραντοι, συνοικίαι καὶ ἀγροί* inter illa dicta sunt referendi, quae, sicut Cobetus vere animadvertit (V. L. p. 20.), Alciphron a Luciano transferre solebat.

Quidquid vero de hac verborum congruentia statuendum est, Kockium, cum modo e Luciano modo ex Alciphrone verba eligens fragmenta comica restitueret, nimis audacem fuisse, pro certo statuo; ut tamen specimen eius artis cognoscatis et in universum de restituendi ratione quaedam disputemus, hosce trimetros e Toxaride (15) et ex epist. Alc. 3. 50 petitos apponam:

οὐ γὰρ κατὰ μῆλα καὶ στεφάνους τὰ δῶρ' ἔτι,
οὐδὲ δαπανᾶται χρυσὸν εἰς αὐτὴν μόνον
κἀργύριον ἀλλ' ἀγροὺς συνοικίας θ' ὅλας.
ἐγὼ δ' ὀδυνῶμαι (πῶς δοκεῖς;) τὴν καρδίαν
ὁρῶν ὑπορρέοντα τὸν πλοῦτον βάδην
ὃν Λυσίας κατέλιπε καὶ Φανοστράτη.

„Fac", inquit Kockius, „in hoc Luciani et Alciphronis communi fonte restituendo me paulo audacius egisse, attamen alii mihi suppetunt loci, quorum necessitudinem nemo fortuitam nominare audeat."

Diligenter igitur examinemus, quae Kockius congruere contendit!

Primum Donatum adfert ad Terentii verba „ego deorum vitam eapropter sempiternam esse arbitror, quod voluptates eorum propriae sunt" (Eun. 5. 5. 3) adnotantem „hanc sententiam totam Menandri de Eunucho transtulit."

Deinde apud Aristidem, Luciani aequalem, Kockius invenit: *οὐκ ἐξ ἴσου τὰ πράγματα οἱ θεοὶ σφίσι τ' αὐτοῖς καὶ τοῖς ἀνθρώποις ἔνειμαν, ἀλλ' αὐτοὶ μὲν, ἅτ' ὄντες ἀθάνατοι, καὶ κύριοι τῶν ἁπάντων, ἀθανάτους καὶ τὰς εὐτυχίας ἔχουσιν.* (Ed. Dind. I, 592).

Quibus locis inter se comparatis, „habeo fures" exclamat Kockius, et Menandrum restituit in possessionem:

οὐκ ἐξ ἴσου τὰ πράγμαθ' οἱ θεοὶ σφίσιν
αὐτοῖς τ' ἔνειμαν καὶ βροτοῖς· ἀλλ' αὐτίκα
αὐτοὶ μὲν ὄντες ἀθάνατοι καὶ κύριοι
ἁπαξαπάντων, ἀθανάτους μάλιστα καὶ
τὰς ἡδονὰς ἔχουσιν.

Statim tamen opponam me apud utrumque scriptorem nihil commune repperisse, nisi quod deorum voluptates propriae sive *ἀθάνατοι* vocatae sunt. Menander enim causam affert, quare deorum vita revera sempiterna sit; Aristides vero queritur hominum voluptates multo infra deorum gaudia esse judicandas.

At, etiamsi sententiae eaedem essent, quare Aristidis homo

superstitiosus Menandrum, neque potius severiorem auctorem adhibuit?

Sed pergamus ad alterum, quo Kockius nititur, documentum! Ad Terentii verba „Immo, id quod aiunt, auribus teneo lupum; nam neque quomodo a me amittam, neque uti retineam, scio" (Phorm. 3. 2. 21) affert Donatus graeca verba: *τῶν ὤτων ἔχω τὸν λύκον· οὔτ' ἔχειν, οὔτ' ἀφεῖναι δύναμαι.* Quo eodem proverbio Aristaenetus utitur (2. 3, p. 160 Ed. Hercher) *ἐγὼ τὸν λύκον τῶν ὤτων ἔχω, ὃν οὔτε κατέχειν ἐπὶ πολὺ δυνατὸν οὔτε μὴν ἀκίνδυνον ἀφεῖναι.*

Quae verba inter se collata Kockius ita in formam „trimetri comici" redegit:

τὸν γὰρ λύκον πως, φασί, τῶν ὤτων ἔχω,
ὃν οὔτε κατέχειν χερσὶ δυνατὸν οὔτε μὴν
ἀσφαλὲς ἀφεῖναι.

At quis non statim videat, sermonem esse de proverbio quo, qui vellet, uti posset? Cave ergo colligas, scriptores, simulac eadem proverbia adhibuerint, quadam necessitudine inter se esse conjunctos.

Habetis tria documenta, quibus Kockius suam rationem comprobare studuit; nunc videamus, quae comica fragmenta in Luciani operibus invenerit!

Cum Kockius Anachars. 10 legisset: *μετὰ μικρὸν δὲ ἄλλα σοι δόξει περὶ αὐτῶν, ἐπειδὰν ἐς τὰς πανηγύρεις ἀπιὼν ὁρᾷς τοσοῦτον πλῆθος ἀνθρώπων συλλεγόμενον ἐπὶ τὴν θέαν τῶν τοιούτων* etc. comoediam odoratus restituit fragmentum 349:

ἐς τὰς πανηγύρεις
ἀπιὼν τοσοῦτον πλῆθος ἀνθρώπων ὁρᾷς
ὥστε . . . . .

Vel, quae Kockius e Jove confutato 1 (= fragm. 295) restituit:

εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς ἕκαστον ἐπικεκλωσμένην ἔχει
τὴν ἀπόβασιν . . . . .

vel e Piscatore 35 (fragm. 126):

ἀρετὴ
καὶ τὸ καλὸν αὔτ' οὐκ οἶδ' ὅποι τότ' οἴχεται
ἔπη πτερόεντ' ὄνθ' ὡς ἀληθῶς καὶ μάτην
ἐν ταῖσι διατριβαῖς σκιαμαχούμενα,

Menandrone vel Alexide digna tibi videntur?

Verum non solum Luciani aliorumque rhetorum verba pedestria illegitime in trimetros detorsit, etiam fragmenta, quorum origo se lateret, aut integra aut paululum mutata comicis poetis vindicare studuit, cuius audaciae duo neque ea illepida exempla e Nauckii [1]) disputatione, qua Kockio oblocutus est, protraham.

In Crameri Anecdotis (II. 408. 22) legitur fragmentum: ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι χὠ καιρὸς τῆς ἐμ. . . . quod Kockius fidenti animo in fragmenta recepit, addens „sunt tetrametri iambici ex comoedia excerpti."

Nuptiarum diem festum sibi finxerat, vel natales, vel ludos publicos hilariter a quodam comico descriptos.

Paullo tamen maiora canamus! Non Menander, non Eubulus hic loquitur, sed gravis Christi Apostolus. Nam evolve Novum Testamentum et in epistola Pauli ad Timotheum (II. 4. 6) invenies: ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι καὶ ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφέστηκεν.

---

1) Mél. gréco-rom. T. VI, livr. 1 (1892).

Haud minus lepidum errorem detexit Nauckius, cum ad fragmentum 1297 (= Eustath. 946. 26) βαδίζουσι αἱ σηπίαι κατὰ ζυγά hanc annotationem Kockii invenisset „quae fortasse ex comica lauti convivii descriptione excerpta sunt." Est tamen aliquid inter jocosam comoediam, ubi convivium celebratur et Aristotelis opus perdoctum „Historiam Animalium", ubi sepiarum vita describitur (5. 22).

Jam satis, credo, intelleximus, quanta circumspectione et cautela in versibus comicorum restituendis opus sit; ne quis tamen putet, me cuilibet versui e rhetorico libro petito comicam originem abrogare, tria ponam, quae in comico fragmento inveniri debeant.

Primo videndum est, in quo scriptore verba legantur; nisi enim constat eum comicos poetas secutum esse, frustra versus vel fragmenta versuum quaeres. Lucianus, Alciphron, Aristaenetus potius in censum veniunt, quam Aristides vel Dio Prusaeus.

Secundo indoles ac natura libri, in quo comicam manum suspicamur, consideranda est. Timon Lucianeus vel Dialogi Meretricii limpidiorem praebent fontem, quam liber de Mercede Conductis vel Alexander Pseudomantis.

Ultimo autem loco, utrum sententiae color comicus adsit, an pro mera pedestri oratione sit habenda, magna prudentia quaeramus necesse est. Quam periculoso autem in negotio versetur, qui ex Luciani operibus trimetros comicos restituere conetur, vel Photius nos docere potest. (cfr. C. I. § 4 meae dissertationis, de numero oratorio apud Lucianum perspicuo.)

Iamque excursu de Comicorum fragmentis restituendis

ad finem perducto, quae de Luciani operibus rhetoricis animadverti, hic uno conspectu complectar.

Usque ad quadragesimum annum vitae vulgaribus rhetorum studiis addictus verba sua ad auditorum voluntatem accommodavit, et quae postea acerbe perstrinxit, hoc vitae tempore compluribus libris celebravit. Duo tamen opera e prima aetate supersunt, quae quodammodo cum posterioribus sunt comparanda. Nam in Anacharside primum satiricae indolis indicium conspicitur, deinde una Toxaridis fabula, licet scriptorem certum quoddam comici exemplum ante oculos habuisse non appareat, tamen propter eroticum argumentum cum Nova Comoedia comparari potest.

Qua autem via Lucianus e rhetore vulgari aequalium censor factus sit, sequenti capite accurate explorabimus.

CAPUT TERTIUM.

DE DIALOGIS COMICIS ET SATIRICIS, IN QUIBUS DI, PHILOSOPHI, HOMINUM VANA STUDIA CARPUNTUR.

1. *De virorum doctorum discrepantia.*

Magnopere vereor, mi lector, ne me arroganter et inconsiderate egisse putes, qui controversiam multorum studiis exploratam neque tamen ad finem perductam me diluturum pollicear. Licet enim per sexaginta annos plurimi scriptores summa industria huic incubuerint negotio, ut statuerent, quo ordine satirici dialogi a Luciano scripti essent, nemo tamen, quae totum solveret, se repperisse contendit explicationem. Jam in capite primo obiter indicavi eo praesertim errore plerosque esse lapsos, quod unum opus accurate observantes, quo vinculo cum aliis cohaereret, inquirere neglegerent. Quia autem omnia judicia, quae philologi protulerunt enumerare longum est, in eis exponendis me con-

tinebo, quae a viris nobilibus defensa ad tempus multorum punctum tulerunt.

F. Fritzschius, in Lucianeis quaestionibus habitans, quam meditandi viam scriptor confecerit, sic sibi finxit. Dialogum Nigrinum pro juvenili opere habens Lucianum mature Platonicorum praeceptis imbutum, deinde ad scepticorum doctrinam delapsum, postremo Epicuri opinionibus sese addixisse statuit.

Aliam interpretandi viam iniit v. d. Bernaysius, qui libro „Lucian und die Cyniker" pro tota illius sectae disciplina causam egit et Peregrinum philosophum eiusque discipulum Theagenem ab obtrectatione Luciani tueri conatus est. Necessitudinem autem, quae inter scriptorem et cynicos interfuisset, cum explicare sibi proposuisset, Lucianum juvenem a jocis, quos illi in religionem popularem et inania hominum studia conjicerent, non aversum fuisse conclusit. „Aber," ut Bernaysii proferam verba, „die Freundlichkeiten, mit denen der Kynismus in den früheren Schriften Lucians bedacht wird, hörten bald auf. Der Entschluss ihn schonunglos zu bekriegen, scheint um die Zeit, als Lukian die „Philosophen-Versteigerung" veröffentlichte, gereift zu sein. Während dort die Stifter der übrigen Philosophenschulen nur einen scherzhaften Spott erfahren, wird Diogenes als Stifter des Kynismus mit der verachtungsvollsten Bitterkeit behandelt. In dem Dialog „der Fischer" giebt er allen übrigen Philosophenschulen eine Art von Ehrenerklärung, nur Diogenes wird von dieser ausgenommen" (pag. 48 et 49). Bernaysii ergo opinio si probanda est, Lucianus cynicos, erga quos antea non iniquo fuisset animo, post Vitarum

Auctionem odit. Recte quidem Bernaysium defendisse Cynicos nimiaeque malevolentiae satiricum accusasse haud nego; quae tamen de mutata voluntate conjecit, aperte Luciani verbis refelluntur. Perinde ac alii veteres philosophi ipse Diogenes in antiquum restituitur honorem (cfr. totus Piscator).

A viris doctis vero, qui in eo conveniunt, quod scriptorem ab alia philosophorum secta ad aliam transiisse credunt, Sommerbrodtius et Brunsius abhorrent. Ille scripsit (Einleitung Ed. Weidm. p. XVI): „Mit dem vierzigsten Jahre gingen also Lucians Lehr- und Wanderjahre, in welchen er ganz der Rhetorik sich gewidmet hatte, zu Ende. Zuerst in eifriger Beschäftigung mit der Philosophie, wandte er bald auch ihr den Rücken wie vorher der Rhetorik und setzte seinen ganzen Fleiss in die Vollendung der von ihm erfundenen neuen Kunstform des satirischen Dialogs." Brunsius autem (Mus. Rhen. 1888) dialogos Lucianeos in tria genera secrevit:

1°. „die genrehafte", ubi singuli philosophi carpuntur, velut Thesmopolis in Mercede Conductis.

2°. „die systematische", ubi totae sectae castigantur et dei vel personae ut Philosophia et Justitia primas agunt partes.

3°. „Eine dritte Klasse folgt, die zugleich Apologie und neuer verschärfter und verallgemeinerter Angriff ist."

Qua opinionum discordia multi dialogi ad vitae tempora quam maxime distantia relati sunt. „Nigrinus", qui Fritzschii judicio mature est scriptus, ab aliis in posteriora opera rejectus est. „Icaromenippum", qui optimo jure et multorum consensu „Menippi" continuatio putabatur, Fritzschius ad annum 180 retulit, ita ut viginti annis post simillimum

dialogum scriptus fuisset. „Gallum" ad comicorum exemplar admodum mature compositum Schwarzius[1]) eodem tempore, quo Alexandrum Pseudomantin (post annum 180) a Luciano profectum esse judicavit.

Maior etiam inter viros doctos oritur tumultus, cum singulorum librorum consilium exponere conantur. Nigrinum, ut denuo ad hunc dialogum redeam, tribus diversis modis interpretati sunt; alii vero, quia argumentum explicare non possent, opus pro pseudolucianeo habuerunt.

Lucide igitur apparet virorum doctorum studiis nondum id effectum esse, ut tamquam profligata quaestione novi ad chronologiam constituendam conatus supervacanei atque inutiles putari debeant.

Meam autem investigationem qua ratione incohaverim et ad bonum, spero, exitum perduxerim, paucis enarrabo. Duo libri — Bis Accusatus et Piscator — in praefatione meae dissertationis jam memorati, in hac quaestione solvenda claram mihi attulerunt lucem. Lucianum enim, quo tempore hos dialogos scripsit, de antiquis philosophis non nisi reverenter verba fecisse, improbos vero aequales, qui philosophiam simularent tantum, acerbissime persequi coepisse inveni (cfr. c. III § 2). Ex aliis ibidem repertis testimoniis, quot dialogi tempore praecessissent, conclusi, iterumque qualem Lucianus de philosophia opinionem ibi protulerit, investigavi. Lucianum autem eo tempore ipsum philosophiae studium repudiasse et antiquos philosophos derisisse, aequales vero in iudicium vocare nondum ei in mentem venisse certissi-

1) Schwarzius. Ueber Lucians Gallus, p. 53.

mum mihi visum est (cfr. c. III § 3). Quo posito fundamento maligna quae Lucianus in viros venerabiles protulit judicia, utrum ex ipsius profluxerint sententia, an in aliorum verba juraverit, accurate circumspexi. Neque frustra quaesivi, nam in plerisque dialogis Lucianum, qui rhetorica esset disciplina institutus, antiquorum scriptorum, praesertim Comoediae et Menippi satirici exemplum in philosophis eludendis secutum esse manifeste patuit (cfr. c. III § 4, 5, 6, 7). Qua in disquisitione quantopere mihi studia a Kockio promulgata profuerint et hoc loco libens testor, et in sequenti disputatione apparebit.

Videmus ergo Lucianum non ab alia ad aliam philosophorum sectam transiisse (Fritzsche), neque philosophia relicta deinde ad satiricos dialogos transgressum esse (Sommerbrodt), sed mea opinio si probanda est, Lucianus olim antiquorum exemplaria refecit, postea suo judicio usus est, ita ut eius mutatio non philosophica sed litteraria putanda sit.

At ipsam disputationem aggrediamur!

2. *De Piscatore et Bis Accusato. Quaeritur, quid Lucianus de philosophia et de rhetorica senserit.*

Ante ceteros dialogos *Piscator* nobis tractandus videtur, qui eo consilio a Luciano est scriptus, ut quid de veteribus et de aequalibus philosophis sentiret, lectoribus exponeret.

Diogenes a sodalibus, ut pro iis verba faceret, rogatus Lucianum accusare fingitur (25—28), quod in praecedentibus dialogis venerabiles philosophos indigne traduxisset ipsamque philosophiam omnium tradidisset risui. A quibus

criminibus Lucianus se purgare conatur (29—38), cum se numquam veteres elusisse sapientes, sed eorum amicum semper fuisse affirmat. Quantopere tamen aequales philosophiam professi, omni scientia essent destituti, ita ut quae agerent, toto coelo distarent a, quae praedicarent, principiis, se semper ostendisse contendit. Quae verba, etsi aperta mendacia putanda esse statim ostendam, tamen Lucianum, quo tempore Piscatorem scripsit, admiratorem antiquorum philosophorum fuisse probant. Deinde indignatus, quod studium philosophiae propter flagitiosam discipulorum vitam a prudentibus hominibus contemneretur, omnium aequalium simulatorum vitia se indicaturum et antiquorum famam defensurum esse promittit (Pisc. 37 cfr. 20 et 52).

Neque absunt testimonia, quae eum promisso fidem praestitisse ostendunt: ultima dialogi pars (40—52), ille „philosophorum piscatus", in pravos aequales composita est, libris Fugitivis et „de morte Peregrini" Cynicos coaevos perstrinxit, in Convivio et Philopseudesi cuiuscumque sectae aequales voluptati et credulitati obnoxios castigavit. Atque hilarem descriptionem de insula beatorum si excipimus, (Ver. Hist. II, 17—22), de antiquis philosophis numquam postea in malam partem locutus est, vel adeo in Alexandro (post annum 180 edito) Epicuri, Democriti, Pythagorae, in „Lapsu in salutando" (4) Platonis cum reverentia mentionem fecit.

Lucianum igitur in Piscatore et in operibus, quae postea sunt edita, antiquos philosophos magni aestimavisse, aequales aspernatum esse constat.

Nunc videamus, quid Lucianus de philosophis in *Bis Accusato* senserit! In quo dialogo de veteribus nihil boni

aut mali dixit, nisi quod eorum dialogos tamquam nimis obscuros improbavit (34), aequales vero (6, 7, 8, 11) malevole carpuntur. Mercurius enim quosdam bonos, multos semidoctos, sed plurimos nefarios inveniri philosophos, Justitiam ad terram redeuntem certiorem facit et Pan, deus ad procacitatem proclivis, malos de moribus sapientium rumores narrasset, nisi Justitia, qua esset castitate, prohibuisset.

Veritus, ne gravitate et philosophiae amore vacuus videretur, tria judicia, quae ipsius sententiam indicare possent, Lucianus pronuntiari fingit. Primo quaestione mota, utrum Academia Polemonem sibi vindicare jure posset, an Vinolentiae restitueretur, Μέθην condemnatam abiisse narrat (15—19). In secunda actione Ἡδόνην praeponit Porticus praeceptis, (19—23) ita tamen ut ad Jovem, summum judicem provocatio pateat (12). Postremo, utrum Aristippus ἀρετῇ an τρυφῇ addictus sit, disceptare veretur (23). In Bis Accusato igitur Lucianum antiquos philosophos non eludentem, aequales maiorem partem vituperantem, philosophiae studium non sine reverentia commemorasse clare apparuit.

Si autem Bis Accusatum cum Piscatore et Fugitivis (dialogis nuper memoratis) conferamus, contemptionem in aequales semper crescentem perspicimus, unde etiam haec dialogorum chronologia constitui posse videtur: primus Bis Accusatus, ubi numerus proborum admodum magnus est (8), secundus Piscator, ubi τινὲς ἀληθῶς φιλοσοφίαν ζηλοῦντες nominantur (37), postremus Fugitivi, ubi manserunt πάνυ ὀλίγοι, ὅσοι ὀρθῶς φιλοσοφοῦσιν (24).

Quae igitur Lucianus de philosophis in Bis Accusato et Piscatore judicavit, exposuimus, jam ad litterariam eius confes-

sionem, quae inprimis in priore dialogo invenitur, transeamus.

Rhetorica, quam Lucianus ut suam uxorem induxerat, maritum *κακώσεως* et adulterii reum fecit (26—30). Ad crimen derelictae feminae, quae ingratum virum Dialogo amasione uti querebatur, Lucianus se multa quidem Rhetoricaë debere confitetur, quia numquam sine ea inter Graecos adeo inclaruisset, sed cum postea uxorem sibi infidelem esse cognovisset et ornamenta eius meretricia semper ante oculos habere se taederet, optimi Dialogi consuetudinem se petivisse dicit. Vel potius omni imagine seposita haec addit: *καλῶς εἶχέ μοι ἀνδρὶ ἤδη τετταράκοντα ἔτη σχεδὸν γεγονότι θορύβων μὲν ἐκείνων καὶ δικῶν ἀπηλλάχθαι καὶ τοὺς ἄνδρας τοὺς δικαστὰς ἀτρεμεῖν ἐᾶν, τυράννων κατηγορίας καὶ ἀριστέων ἐπαίνους ἐκφυγόντα, ἐς δὲ τὴν Ἀκαδήμειαν καὶ ἐς τὸ Λύκειον ἐλθόντα τῷ βελτίστῳ τούτῳ Διαλόγῳ συμπεριπατεῖν ἠρέμα διαλεγομένους, τῶν ἐπαίνων καὶ κρότων οὐ δεομένους* (32).

Alterum crimen, quo Lucianus a Dialogo accusatur, (33) hoc est: graviter Dialogus fert, quod sua indoles a scriptore in comicorum petulantiam mutata sit (*σωφρονικὸν προσωπεῖον ἀφεῖλέ μου, κωμικὸν δὲ ἄλλο καὶ σατυρικὸν ἐπέθηκέ μοι καὶ μικροῦ δεῖν γελοῖον*), sed maiore incensus est dolore, quod biformis Menippeae satirae natura sibi obtrusa esset, ita ut nemo dicere posset, utrum dialogi soluta an vincta oratione essent scripti (*τὸ γὰρ πάντων ἀτοπώτατον, κρᾶσίν τινα παράδοξον κέκραμαι καὶ οὔτε πεζός εἰμι, οὔτ' ἐπὶ τῶν μέτρων βέβηκα, ἀλλ' ἱπποκενταύρου δίκην σύντεθέν τι καὶ ξένον φάσμα τοῖς ἀκούουσι δοκῶ*).

„Speraveram," reus respondet, „fore ut dialogus hac mutatione gauderet; adsciveram enim Comoediam et Menippum, ut dialogus facetiis ornatus hominibus carior fieret quam

illa antiquorum philosophandi ratio, quae abstrusis quaestionibus lectores taedio afficiebat."

Quid igitur nos Lucianus in *Bis Accusato* docuit? Primo eum rhetoricam artem propter inanem et turgidam indolem 40 annos natum repudiavisse audimus, secundo apparet jam complures dialogos esse scriptos, quorum lepidam indolem contra adversariorum crimina defendere conatur.

Quod ex Piscatore igitur et ex Bis Accusato consecuti sumus, ut complectar:

1°. Lucianus Philosophiae admirator est factus.

2°. Antiquos philosophos colit, aequales persequitur.

3°. Quadragenarius Rhetoricam deseruit.

4°. Jam complures comicos et cynicos dialogos composuit.

Qua prima disputationis parte ad finem perducta nunc quae judicia in illis comicis et cynicis dialogis scriptor protulerit, investigemus.

3. *De dialogis antea editis, in quibus antiqui philosophi vituperantur, ipsa philosophia contemnitur.*

Nunc igitur res fert, ut accurate indagemus, de quibus dialogis jam antea editis in Piscatore et Bis Accusato sit sermo.

Denuo ad illam malignam Diogenis orationem (Pisc. 26) redeo, ubi Lucianus magnum βλασφημιῶν numerum in omnes philosophos ἐς παχὺ βιβλίον ἐγγράψαι accusatur. Num ad aliud opus hoc aptius pertinere putemus, quam ad dialogum Hermotimum, qui ambitu et copiosa argumentatione inter alias satiras excellit? (cfr. Hermot. 85 de philosophis impugnatis). Cui conjecturae, quod ad libri tempus pertinet,

duo loci ex Bis Accusato et Hermotimo inter se comparati favent. Hermotimus Stoicus in dialogo sui nominis (13) Lucinum, sub qua persona ipsum scriptorem latere jam supra dixi, hunc ad modum alloquitur: „Si te aspicio, mi Lucine, mihi circa quadraginta annos natus esse videris." In Bis Accusato (32) vero, ut jam audivimus, Lucianus se, cum quadragenarius esset, a Rhetoricâ ad veram transiisse philosophiam narrat. Itaque Hermotimum Bis Accusato anteriorem esse liquide apparet.

Aliud, quod praecedit, opus, est Vitarum Auctio, quia Diogenem ob contumelias, quibus Lucianus in illa satira philosophos affecit, in Piscatore (23 et 27) iratum videmus; quo accedit, ut finis Piscatoris pro explicatione habenda sit, qua Lucianus, quos in illa Vitarum Auctione occulte petiverit, aperte indicet. (Pisc. 48).

Maior tamen praecedentium dialogorum seges ex Bis Accusato 33 meti potest, ubi Dialogus, sicut supra vidimus, utrum pedestri sermone an poesi sit compositus, non amplius affirmari posse queritur. Cernebatur scilicet in eo *παράδοξος κρᾶσις*, quam Lucianus e satira Menippea mutuatus esset. Cum autem in Menippo sive Necyomantia, Icaromenippo, Jove Tragoedo, et Charone versus prosae orationi intermixti inveniantur, origo et tempus eorum dialogorum non amplius incerta sunt.

Quibus operibus postremo Dialogi Mortuorum addantur, ubi in decem altercationibus ille *φοβερὸς καὶ δάκνων* Menippus primas egit partes, neque veteribus pepercit philosophis, de qua injuria Diogenem in Piscatore (26) querentem audivimus.

Ratione ergo computata, habemus hos septem, qui praecedunt, dialogos: Dialogos Mortuorum, Menippum, Icaromenippum, Charonem, Jovem Trogoedum, Hermotimum, Vitarum Auctionem.

Videamus nunc, quantum scriptoris de philosophia sententiae in his dialogis propositae, distent ab iis, quas supra in Bis Accusato et in Piscatore cognovimus. Charonem in studiis mortalium contemnendis versantem, atque Jovem Tragoedum, ubi scriptor fabulas deorum ludibrio vertit, silentio praetereamus, quia ad nostrum propositum nihil attinent.

Quinque ergo restant libri, ex quorum numero primi Dialogi Mortuorum sunt adeundi. Socratem (dial. 21), Aristotelem (dial. 13), Pythagoram, Empedoclem, Platonem (dial. 20), satiricus cavillatur; Cynici vero soli (dial. 11 et 27) laude digni putantur.

In Vitarum Auctione omnes philosophiae magistros, ne Diogene quidem excepto, quasi vilissimos servos Lucianus venire fingit; Aristippus autem ita omnibus caruit virtutibus, ut dominum adipisci non posset. Versamur sine dubio in scurrilibus jocis, quos Comici olim contra philosophos in scenam proferre gaudebant, contra Mortuorum Dialogi, in quibus scriptor solis Cynicis pepercit, ad Menippeas referendi sunt satiras.

Neque ipsa philosophia a telis e Comicorum et Menippi armamentario sumptis tuta mansit, cum in Icaromenippo, Menippo, Hermotimo summam veritatem mortalibus haud perspicuam esse demonstraret et omnibus, ne tam inutili sapientiae labores impenderent, persuaderet.

Quam opinionem licet in Icaromenippo non ipsis verbis significaverit, tamen e totius dialogi oeconomia effici potest. Primarum actor, Icaromenippus, discrepantiis philosophorum turbatus in coelum ascendit, ut a dis plus peteret lucis, sed a Jove benigne hospitio acceptus, postquam deorum res domesticas non multum a mortalium ratione distare cognovit, norma ad vitam bene regendam non rogata in terram re infecta rediit.

Icaromenippus ad coelum peregrinatus est: contra Menippus descendit ad inferos, ut Tiresiam, sapientissimum augurem, de summo bono consuleret, qui privatorum civium optimam esse vitam, dummodo philosophiam nihil curarent et mortalium studia cum risu despicerent, sciscitanti respondit. (21)

Fusius eandem sententiam in Hermotimo illustrat, ubi ampla argumentatione e discordia sectarum et ex angusta ac tenui hominum mente, vitam mortalium breviorem esse, quam ut summam veritatem consequi possent, demonstrat. Π*άντες, ὡς ἔπος εἰπεῖν*, inquit Lucinus, *περὶ ὄνου σκιᾶς μάχονται οἱ φιλοσοφοῦντες.* (Herm. 71 cfr. 50, 51, 53, 83, 86.)

Lucianum igitur duobus dialogis antiquos derisisse philosophos, tribus aliis ipsum philosophiae studium quasi mortalibus inutile repudiasse, manifeste ostendisse credo. Numquam nisi raro (Herm. 9—13 et Icarom. 16, 21, 29) pravos aequales vituperasse videtur, quod obiter tantum fecit neque ipso consilio, sicut in Bis Accusato et in Piscatore vidimus.

Quid igitur ex paragraphis 2 et 3 colligendum est?

Postquam Lucianus ab omni philosophiae studio aversus antiquos philosophos ludos fecit, in Bis Accusato et in Pis-

catore se illorum amicum esse professus, pravos aequales persequi coepit. Verba tamen, quibus ipse scriptor hac de mutatione locutus est, difficile lectoribus veram viam ad chronologiam cognoscendam monstrare possunt.

Accurate igitur testimonia eius exscribamus:

Bis Acc. 32: „Circa 40 annos natus causidicorum arte et declamationibus desertis ad dialogum et veram philosophiam transii."

Piscator 29: „Rhetorica arte relicta ad philosophiam confugi."

Piscator 6 et 30: „Semper philosophiam admiratus sum."

Nunc Diogenis, cui Lucianus adversariorum verba tribuisse videtur, testimonium audiamus:

Piscator 25: „Lucianus rhetorica arte relicta ad philosophiam *deridendam* transiit."

Uter verum dixit, Diogenes an ipse Lucianus?

Quinque dialogi in hac paragrapho collecti adsunt, qui, ut Lucianum mendacii condemnemus, Diogenis accusationi credamus, cogunt atque flagitant.

„At," roget quispiam, „quomodo tam impudenter Lucianus mentiri potuit, cum illi dialogi, in quibus venerabiles philosophi eluduntur, contrariam sententiam aperte indicarent?"

Postea fusius demonstrabo, sed nunc jam obiter dicere velim Lucianum in Vitarum Auctionem, ubi evidentissime antiquos philosophos deriserat, verba, quae a toto libro aperte distant, inseruisse et opus ad sententiam, cui in Piscatore addictus erat, accommodasse. Qua re Lucianus perfecit, ut, si ea tantum legamus judicia, quae postmodo inserta sunt,

eum jam antea aequales flagitiosos persecutum esse concedere debeamus.

Sed Luciani artificio detecto hanc chronologiam supra a me indicatam, solam veram esse patet: scriptor quadraginta annos natus a declamationibus transiit ad dialogos, in quibus Comicorum et Menippi more antiquos philosophos ipsumque philosophiae studium omnium risui tradidit. Circa Bis Accusatum et Piscatorem demum, cum antiquis magistris valedixisset et suo judicio uti coepisset, simul philosophiae admirator et aequalium censor factus est.

Si vero quis me roget, num Lucianus post Piscatorem revera se philosophiae dederit, atque eius indoles ad philosophicas quaestiones dirimendas idonea fuerit, palam confiteor nusquam in posterioribus operibus me sententiam alicuius philosophi ab eo ita tractatam invenisse, ut ipsius scriptoris studium vel acumen prodiret. Nec mirum: Lucianus postquam ad quadragesimum annum rhetor fuit neque ullum philosophicum argumentum attigit, tum per comicos poetas et Menippum satiricum philosophiam cognovit. Quodsi postea Epicurum et Democritum magni fecit, non intima placitorum notitia nostrum scriptorem cum illis conjunxit, sed quia, ut Lucianus ipse, populi superstitionis adversarii fuerunt. Urbani deinde mores Epicuri, qui tam commode in insula beatorum convivio praeesse fingitur (Ver. Hist. II, 18), Lucianum, hominum facetum et elegantem alliciebant, cum rustici et squalidi Cynici, qui tunc temporis pannis induti per plateas errabant, nauseam et fastidium ei moverent. Quod autem Diogenem aliosque Cynicos in Mortuorum Dialogis laudavit, Menippum suum in scribendi genere magistrum secutus est.

4. *De Nigrini authentia, consilio, duplici origine.*

Nunc ad *Nigrinum* veniamus, in quo dialogo, cum tota mea satirarum chronologia subverti videretur, postremum mihi nova ac clara lux orta est.

Quid enim nobis est statuendum de „Nigrino", ubi Lucianus in dialogi initio praecepta Nigrini sui Platonici magistri tam religiose admiratur et laudat, ut vehementem Academiae fautorem declamantem audire te putes. Intellegis, lector, eos, qui Lucianum philosophiae studiosum et pio animo praeditum fuisse sibi finxerunt, Nigrinum ut pignus certissimum coluisse. Hertzberg [1]) de eo loquitur „der scharf verständige dabei aber, wie seine Schilderung des Nigrinus deutlich zeigt, im innersten Grunde seines Herzens doch liebesbedürftige und liebesfähige dabei tief ernste Mann." V. d. Brunsius [2]) nuperrime: „Noch giebt der Nigrinus deutlich Kunde von einer Zeit seiner Jugend, in der er mit leidenschäftlicher Bewunderung zu einem Vertreter des Platonismus aufblickte," sed quod altera manu dederat, altera abstulit: „auf die Ueberzeugungen des Mannes Lucian haben diese philosophischen Anregungen des Jugendzeit nicht mehr den leisesten Einfluss ausgeübt."

Attamen v. d. Bruns fallitur, si Nigrinum a juvene scriptum esse putat; non enim obliviscendum est Lucianum, quamdiu rhetorum disciplinam sequebatur, (sicut in capite

1) Hertzberg. Gesch. der Griech. unter Rom. Herrsch. II. 431.
2) J. Bruns. Luc. philos. Satiren. (Mus. Rhen. 1888. p. 167).

secundo vidimus) ne ullum quidem philosophicum argumentum attigisse.

Sed graviora obstant, quominus Nigrini laudem ex intimo Luciani animo ortam esse arbitremur. Quaenam imago Luciani esset delineanda, si Nigrinus pro vera laudatione cuiusdam Platonici haberetur? Usque ad annum quadragesimum Lucianus rhetor nullam philosophiae notitiam ostendit (cfr. caput II); tum repente cuidam Platonico discipulum se addixit; subito rursus huius viri oblitus, cuiuslibet sectae philosophos satiricis dialogis persecutus est (cfr. c. III § 3), aut secundum Fritzschium e Platonico Scepticus evasit; qua tertia opinione repulsa antiquos philosophos in Bis Accusato et Piscatore colere coepit (cfr. c. III § 2). Quis tamen Lucianum in dialogis sibi statim succedentibus toties opinionem mutavisse credat? Nonne Proteus Luciano, qualis a viris doctis fingitur, constantior est putandus? At memores simus illos philologos, cum Nigrinum solum ante oculos haberent, quo vinculo cum aliis ejusdem argumenti dialogis cohaereret, numquam secum reputasse.

Nonne multo verisimilius est, Lucianum ex rhetore, qui in philosophis irridendis Comicos et Menippum ob lepidum argumentum secutus erat, paullatim amicum illum et defensorem philosophiae factum esse, quem in Piscatore et posterioribus libris cognovimus? Omni igitur studio enitendum est, ut illa ἀπορία de Luciano Platonici cuiusdam discipulo quam aptissime solvatur.

Ranke, Bekker [1]), Bernays [2]), aliique viri docti, quia

1) in sua editione.

2) Bernays (Luc. und die Kyniker p. 89) dubitat.

piissima erga magistrum verba cum Luciani indole non convenientiā judicarent, satis audacter totum dialogum in dubium vocaverunt nihil curantes, quod Fritzschius, peritissimus Lucianeae dictionis judex, dialogum ob sincerum sermonem pro genuino opere semper habuit. Alii satiram vel occultam vel apertam se videre putabant. Chlebus [1]) dicit: „Qui uno magistri sermone se ita institutos esse credant, ut prudentes uno die facti fuerint, eos haud occulte eludit Lucianus". Meesius [2]) noster: „Sententia Luciani de Nigrino est tota satirica". A. Schwarz [3]): Lukian affectirt ein unbeschreibliches Glückseligkeitsgefühl über Nigrinus Vortrag und macht durch diese fingirte Ekstase den lächerlichen Versuch des Schulersüchtigen Philosophen mit dieser Philosophie einen Lukian zur Bewunderung hinzureissen noch lächerlicher."

Atque haec quidem exempla, quae lepide ostendunt, quantopere philologi nostri seculi arte interpretandi calleant, habetis: nunc age convertite animos ad ipsum Lucianum.

Primo statuamus oportet in verbis, quae ipse Lucianus in dialogo locutus est, ne levissimum quidem vestigium satirae contra Nigrinum scriptae apparere, occultam autem illam ironiam, quantumvis aliis carissimam, procul a nobis habeamus.

Neque praecepta a Nigrino tradita ab ulla parte digna sunt, quae Lucianus derideat; eandem enim doctrinam de studiis mortalium continent, ac in Gallo gallus domesticus

---

1) G. Chlebus. De Luciano philosopho. p. 27.

2) A. Mees. De Luc. scriptis juven. p. 47.

3) A. Schwarz. Ueber Lukians Nigrinus.

Micyllo domino commendat, in Tyranno Cyniscus praedicat, in Cronicis Saturnus docet, in Navigio ipse Lucinus et in Charone Mercurius eiusque amicus Charon profitentur. Vel, ut apertius, quid velim, dicam, Platonicus noster merum Cynicum agit.

Cum enim de libertate, quam philosophia praebet (4 et 20), et de mortalium *φιληδονίᾳ* et *φιλοπλουτίᾳ* et *φιλοδοξίᾳ* Cynicorum more locutus esset, in 25 philosophos gulae accusat, sicut Lucianus in Hermotimo (9—13) et toto Convivio sapientes carpsit. Nimiam corporis exercitationem, quam Lucianus dial. mort. 10 et toto Anacharsidis libro deriserat, etiam Nigrinus minimi facit (28). Luxum, quem in funeribus et sepulcris homines ostentabant, perstringit Nigrinus (30), quocum conferendi sunt dial. mort. 10 et 13, Menippus 17, Demonax 66 et libellus „de luctu". Homines semper *ἄκαιρα* cupientes objurgantur (31), quod idem crimen dial. mort. 26 commemoratur.

Undique ergo apparet pleraque, quae Nigrinus tamquam suam doctrinam profert, Cynicorum esse praecepta, quaedam etiam in dialogis Lucianeis legi, ubi scriptorem Menippum Cynicum esse secutum postea videbimus, ita ut omnis explicatio, quae satiram in Nigrinum scriptam esse sumat, respuenda videatur.

Haec habui, quae contra virorum doctorum opiniones, qui aut verum animi affectum, aut originem pseudolucianeam, aut occultam vel apertam satiram interpretabantur, proferrem; reliquum est, ut quid ipse sentiam brevissime exponam, sed antequam incipio, pauca de nomine Nigrino praemittenda videntur.

Fritzschius in praefatione ad dialogum, quemquam eorum, qui Luciani temporibus e gente Avidia, Pontia vel Domitia Nigrini cognomine gaudebant, in nostro dialogo designari optimo jure negat, sed sub nomine Nigrini Albinum quendam Platonicum latere opinatur, qui cum anno 152 Smyrnae doceret, inter alios Galenum postea nobilissimum medicum, discipulum habuit.

At hic rogo, quare Lucianus, qui magistrum Albinum laudare vellet, nomen celando dimidium laudis dempserit, quo accedit, ut nullum documentum invenire possim, quamobrem ille Albinus idem fuerit, quem Lucianus sub Nigrini nomine laudavit.

Fritzschius in textu Luciani constituendo vitiisque purgando non exiguam laudem meritus, in quaestionibus tamen ad historiam pertinentibus, cum multis aliis philologis hoc errore permotus est, ut conjecturas prorsus nullo nitentes fundamento confidenter proferret. Semper hercle, memores simus, plurimas ex antiquitate res vetustate nimis occultas esse, quam quae adhuc ad certum eventum perduci possint, neque illos sophistas imitemur, qui utram Veneris manum Diomedes vulneraverit, et utro pede claudicaret Philippus quaeritabant. Equidem nego effici posse, quis sub Nigrini persona lateat, immo totam illam Platonici philosophi personam a Luciano fictam esse mihi certissimum visum est.

Nigrinum aeque ac Hermotimum, Micyllum, Adimantum eiusque amicos (in Hermotimo, Gallo, Navigio) pro ficta persona habenti forte quispiam mihi objiciat, dialogo esse praepositas Luciani litteras ad Nigrinum magistrum missas. At quis nesciat Antoninorum aevo sophistas huic rei operam

quam maximam navasse, ut fabulis fictis speciem veritatis inderent, cuius rationis luculentum exemplum praebet Lucianus in Toxaride fabulas undique corrasas pro veris venditans. (Cfr. Tox. 11 *ἐπομοσάμενος ἦ μὴν ἀληθῆ ἐρεῖν* et 10 *ὀλίγους δέ τινας προχειρισάμενος τῶν καθ' ἡμᾶς αὐτούς*). Hoc igitur praejudicio de nomine Nigrini facto ad ipsam quaestionem redeamus.

Nigrinum autem doctrinam, quam in aliis dialogis Cynicae personae profitentur, prae se ferre jam animadverti, sed etiam, quae ex intimo Luciani corde profluxisse mihi videntur ex eiusdem philosophi ore audimus. Quemadmodum postea in Mercede Conductis Lucianus fecit, sic Nigrinus in hoc opere Romanorum luxuriem acerbe cavillatus (15, 16) de nomenclatoribus, de clientibus (21—24), de servorum fortuna (34) ita locutus est, ut malevolus ipsius scriptoris animus erga nobiles Quirites manifestus pateat. Contra Athenas urbisque incolas tantis sustulit laudibus, ut priscos Athenienses, qui patriam a Persis defenderent, tum etiam vixisse putares (12—14).

Quid igitur de Platonico philosopho, qui Cynici et ipsius Luciani verba dicat, censendum est?

Diu nesciebam, tandem mihi lux orta est: ille Platonicus e Comoedia in nostrum dialogum venit. Meministine, lector, me in capite primo mei libri animadvertisse Lucianum variis modis comicos poetas in suum usum convertisse? Aut totum argumentum ab illis sumpsit, aut episodio aliquo vel persona usus est, ut dialogum hilariorem redderet. Nonne initium nostri Nigrini, ubi illa vehementia Luciani verba leguntur, ex illo fonte fluxisse verisimile est?

At Lucianum ipsum de dialogorum structura confitentem audiamus!

Dialogus (Bis Acc. 33) queritur: ἐς τὸ αὐτὸ φέρων συγκαθεῖρξέ μοι τὸ σκῶμμα καὶ τὸν ἴαμβον καὶ κυνισμὸν καὶ τὸν Εὔπολιν καὶ τὸν Ἀριστοφάνη, δεινοὺς ἄνδρας ἐπικερτομῆσαι τὰ σεμνά.

Ipse Lucianus (Prom. [1]) in litt. 5) dicit οὐδὲ τὸ ἐκ δυοῖν τοῖν καλλίστοιν συγκεῖσθαι διαλόγου καὶ κωμῳδίας οὐδὲ, τοῦτο ἀπόχρη εἰς εὐμορφίαν. Se ipsum quendam Prometheum fuisse declarat ὀστᾶ παραθεὶς κεκαλυμμένα τῇ πιμελῇ, γέλωτα κωμικὸν ὑπὸ σεμνότητι φιλοσόφῳ. (Prom. in litt. 7).

Nonne in nostro dialogo laudatio Nigrini γέλως κωμικός tibi videtur? Cynica vero praecepta, sine dubio ad Menippi exemplum tractata, nonne σεμνότης φιλοσόφος nominari possunt? Nonne ipse Lucianus ad hanc initii originem respicit cum se ab amico sic interrumpi fingit: ὡς εὖ γε νὴ τὸν Ἑρμῆν καὶ κατὰ τὸν τῶν ῥητόρων νόμον πεπροοιμίασταί σοι (10) et οὗτος ἀνὴρ οὐ παύσεται τήμερον πρός με πολλῇ τῇ σκηνῇ χρώμενος (12)?

Si Kockii auxilio, qui e nostri dialogi initio decem trimetros se restituisse contendit, conjecturam stabilire vellem, locum comicum ex Aegyptiaco papyro ante paucos annos protractum afferre possem, qui pulchre cum initio Nigrini convenit.

Legitur enim apud Kockium (Fragm. Com. III. 420) fragmentum ex incerto auctore:

ἐρημία μέν ἐστιν, κοὐκ ἀκούσεται
οὐδεὶς παρών μου τῶν λόγων, ὧν ἂν λέγω.

---

1) V. cl. Hartman in diss. sua recte monuit titulum libri non esse „Prom. in verbis" sed „Prom. in litteris".

ἐγὼ τὸν αἰῶν', ἄνδρες, ἐτεθνήκη πάλαι
ἅπανθ' ὃν ἔζην· τοῦτό μοι πιστεύετε.
ἄχνη τὸ καλόν μοι, τἀγαθόν, τὸ σεμνὸν ἦν.
.... τοιοῦτον ἦν τί μοι πάλαι σκότος
περὶ τὴν διάνοιαν, ὡς ἔοικε, κείμενον,
ὃ πάντ' ἔκρυπτε ταῦτα κἠφάνιζέ μοι.
νῦν δ' ἐνθάδ' ἐλθών, ὥσπερ εἰς 'Ασκληπιοῦ
ἐγκατακλινείς, ὡς ἴστε, μετ' ὀλίγον χρόνον
ἀναβεβίωκα· περιπατῶ, λαλῶ φρονῶν·
τὴν(τὸν) τηλικούτων καὶ τοιούτων ἡδονῶν (ἥλιον)
ξύνοικον εὑρών, ἄνδρες, ἐν τῇ τήμερον,
ὑμᾶς ἐρωτῶ νῦν, τίς ὁρᾷ τὸν οὐρανόν
τὴν ἀκρόπολιν, τὸ θέατρον [ἥδιον γ' ἐμοῦ];

Et sequuntur verba: „φιλόσοφος" et „μαθήματα".

Kockius adnotat: „obtrectator nescio quis philosophiae adulescentulus, ut videtur, qui antehac notiones morales temere contempserat, brevissimum tempus a magistro stoico institutus iam aliter philosophiam aestimat et laetitiam suam, ne quis non initiatus audiat, solus cum spectatoribus communicat."

Quam interpretationem Kockio defendendam relinquens tamen quantum ille comicus juvenis et discipulus Nigrini Platonici sibi similes sint, consideremus. Conferas verba comica: σκότος περὶ τὴν διάνοιαν κείμενον ἔκρυπτε πάντα cum Lucianeis (2) ἐστάλην μὲν εὐθὺ τῆς πόλεως βουλόμενος ἰατρὸν ὀφθαλμῶν θεάσασθαί τινα· τὸ γάρ μοι πάθος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ μᾶλλον ἐπετείνετο, non tamen medicum adiit, sed philosophum Platonicum. Quid igitur de hoc oculorum morbo statuendum sit, facile intellegas. Juvenis comicus ὥσπερ εἰς 'Ασκληπιοῦ

ἐγκατακλινεὶς μετ' ὀλίγον χρόνον ἀναβεβίωκεν. Lucianus ὥσπερ ἐκ ζοφεροῦ τινος ἀέρος τοῦ βίου τοῦ πρόσθεν εἰς αἰθρίαν τε καὶ μέγα φῶς ἀνέβλεψεν, ὥστε τοῦ ὀφθαλμοῦ μὲν καὶ τῆς περὶ αὐτὸν ἀσθενείας ἐπελανθάνετο, τὴν δὲ ψυχὴν ὀξυδερκέστερος κατὰ μικρὸν ἐγίγνετο (4).

Ille felix juvenis apud comicum φρονῶν λαλεῖ καὶ περιπατεῖ, Lucianus μακάριος γεγενημένος καὶ τοῦτο δὴ τὸ ἀπὸ τῆς σκηνῆς ὄνομα, τρισόλβιος, ἔνθεος καὶ μεθύων ὑπο τῶν λόγων περιέρχεται (5). At, licet apud utrumque scriptorem juvenis magistri praeceptis τρισόλβιος sit, tamen fragmentum mihi nimis incertum videtur, quam ut ad aliud opus interpretandum adhiberi possit.

Longiore potius, sed, ut spero, certiore via, meam conjecturam probare conabor, inquirendo num alii quoque dialogi, qui duplicem originem produnt, cum Nigrino sint comparandi, quam investigationem ut facilius instituam, primo in quibus operibus Lucianus comicos secutus sit, deinde in quibus exemplum Menippi cernere liceat, sedulo indagabo.

5. *De dialogis, in quibus argumenta comica Lucianus retractavisse videtur.*

Lucianum scriptores comicos bene pernosse, inde concludere possumus, quod non solum respexit ad fabulas, quae sive integrae supersunt sive titulo certe notae sunt (Aves Aristoph. Ver. Hist. 1. 29. Nubes Pisc. 25 Βάπται Eupolidis adv. ind. 27), sed saepe imaginibus utitur, quae ad artem scenicam pertinent atque de histrionum virtutibus ac vitiis ita loquitur, ut dubitari nequeat, quin scenicas actiones dili-

genter spectare solitus sit. (Nigr. 8. Gall. 26. Icarom. 29, et passim in libro de Saltatione.)

At quid vos hic diutius moror? Inspicias dissertationem a P. Schulzeo[1]) scriptam, qui de hoc argumento multa utilia protulit. De diversis comicorum dicendi generibus disserens, verba deminutiva, ut *γνωμίδια, λυχνίδιον, θρυαλλίδιον* ad eam originem referenda esse recte monuit. Certas formulas e quotidiano sermone petitas ut *ἐν ἀκαρεῖ χρόνου* et *ἀσκαρδαμυκτὶ βλέπειν* (Tim. 14), vaticinia et oraculorum sortes in ridiculum versas (Jup. Trag. 31) postremo contionalem usum depravata imitatione expressum, haec omnia prudenter collecta aestimavit.

Ut tamen scias, quid de Schulzei studiis in universum sentiam, in quaestionibus ad dictionem pertinentibus merita eius agnoscenti, quae tamen de continuis comicorum sententiis a Luciano translatis et de argumentorum similitudine conjecit, ea haud probanda mihi videntur. Statim quosdam locos mihi proferre liceat!

Cum Schulzeus in „Piscatore" (1) invenisset *βάλλε βάλλε τὸν κατάρατον ἀφθόνοις τοῖς λίθοις. ἐπίβαλλε τῶν βώλων. προσεπίβαλλε καὶ τῶν ὀστράκων. παῖε τοῖς ξύλοις τὸν ἀλιτήριον*, annotavit „nihil aliud scriptor sibi voluit, nisi verba senum Acharnensium circumscribere, quae illi Dicaeopolin persecuti exclamant:

βάλλε, βάλλε, βάλλε, βάλλε,
παῖε πᾶς τὸν μιαρόν.
οὐ βαλεῖς; οὐ βαλεῖς;

1) P. Schulzeus. Quae ratio intercedat inter Lucianum et comicos praesertim poetas.

Attamen lapidum jactatio tam singularis in inimicum impetus est habendus, ut Lucianus alium scriptorem secutus esse putandus sit?

Qua imitatione in medio relicta videamus, quid de argumentis in Rhetorum praeceptore, Icaromenippo, Necyomantia statuerit.

Rhet. Praec. 1 magister ad discipulum dicit: *ἀβίωτα γὰρ εἶναί σοι φής, εἰ μὴ τοιαύτην τινὰ τὴν δύναμιν περιβάλοιο ἐν τοῖς λόγοις, ὡς ἄμαχον εἶναι καὶ ἀνυπόστατον καὶ θαυμάζεσθαι πρὸς ἁπάντων καὶ ἀποβλέπεσθαι περισπούδαστον ἄκουσμα τοῖς Ἕλλησι δοκοῦντα.*

„Quorum verborum" sic inquit Schulzeus „sententia eadem fere est, quae in Nubibus (412), ubi chorus Strepsiadem sic alloquitur:

ὦ τῆς μεγάλης ἐπιθυμήσας σοφίας, ἄνθρωπε, παρ' ἡμῶν
ὡς εὐδαίμων ἐν Ἀθηναίοις καὶ τοῖς Ἕλλησι διάξεις.

At ille juvenis, qui inter Graecos praeclarus rhetor fieri studet, Strepsiadi antiquorum sophistarum dialecticam ad vitae commoda adhibere volenti, non tam similis videtur, ut Lucianum Aristophanem secutum esse appareat.

„Sed cogitationum consensus etiam speciosior est in aliis" pergit Schulzeus et vias, quae artis rhetoricae studiosis proponuntur, unam spinosam, alteram planam et aequam, cum *δικαίῳ* et *ἀδίκῳ λόγῳ* e Nubibus comparavit.

At haec duarum viarum comparatio, quae ex Hesiodi Operibus (vs. 287 sqq.) et e Prodicea fabula omnibus nota est, ex Nubibus profluxerit necesse est?

Icaromenippum deinde una ex parte cognatum judicat cum initio Avium, altera ex parte mirum in modum cum Pacis

quadam scena congruere censet. Ut enim Pithetaerus eiusque comes turbulentos cives fugiunt et rerum publicarum taedio victi vitam quietam in aëre conquirunt, ita Icaromenippus in aequalium philosophandi ratione non acquiescens, ad superos ipsos ascendit, ut a Jove sciscitetur, quidnam vir prudens de philosophorum placitis judicare debeat.

Sed quid inter duas fabulas commune intercedit, nisi quod uterque per aerem peregrinatur? Neque illi ἀεροβατοῦντες velut Bellerophon, Trygaeus et alii raro inveniuntur.

Ad illam potius accedamus descriptionem, „quae mirum in modum congruit cum Trygaei apud superos adventu." „Namque," sic argumentatur Schulzeus, „et apud Aristophanem et apud Lucianum Mercurius pulsantibus fores aperit, idemque deus in Pace e Trygaeo, quisnam et unde natus sit sciscitatur, in Luciani dialogo ex Icaromenippo."

Quis vero deorum magis idoneus est, ut januam aperiat, quam ille nuncius Mercurius? Et quid tam usitatum et vulgare est putandum, quam ut si quis peregrinus fores pulset, nomen rogetur?

Licet porro Schulzeus iure animadverterit Menippum in Necyomantia et Bacchum apud Aristophanem in Ranis utrumque pelle leonina indutum ad inferos descendisse, tamen nimis audacter totam fabulam ad comicum exemplum compositam esse conjecit.

Vides ergo quam debili fundamento nitantur illae Schulzeanae similitudines, et quam facilis haec comparandi ratio sit, exemplo a me ipso reperto et profecto non deteriore demonstrabo. Sine dubio, lector, argumentum Πυτίνης Cratini cognitum habes, in qua fabula ingeniosus poeta Comoediam

uxorem suam esse sed divortium cum marito facturam et κακώσεως litem sibi intenturam finxerat. Qua rixa pervulgata Cratini familiares mulierem obsecrant, ut, ne quid temere faciat, et quae sit tantae inimicitiae causa quaerunt. Tum illa gravissime queritur de Cratino, quod se contemptui habeat totumque Temulentiae sese tradiderit. Cratinus et uxor ante familiarium judicium vocantur et uterque orationem ad judicialem formam effictam habuit. Lucianum suppone pro Cratino, „Rhetoricam" pro „Comoedia," „Dialogum" pro „Temulentia" et habes argumentum alterius partis Bis Accusati Lucianei. Asseverare tamen satiricum ipsam Πυτίνην imitatum esse non audeo, quia plures subsimiles fabulae esse potuerunt. Quid enim argumenti fuit fabulae „Δὶς κατηγορούμενος" comici Augeae?

Proprio igitur Marte meam inquisitionem perficiam et comicam originem non sententiarum fortuita similitudine, sed toto librorum argumento interpretari conabor.

I. Quicumque hilari et jocoso est animo, nonne *Dialogos Meretricios* adamare debet, ubi mulierculae cum amatoribus, matribus vel famulis rixantes aut confabulantes lepide inducuntur? Cavendum tamen est ne elegantissimas has imagines ex aequalium vita a Luciano sumptas esse putemus, et recordemur oportet, quantopere rhetores, ut Alciphron et Aristaenetus, comoediam in prosam orationem mutare studuerint. Propter immensam vero Comoediarum Novarum copiam et exiguam quae ad nos pervenit de iis notitiam, quae in singulis exempla Lucianus secutus sit, dijudicare nequeo; ut tamen argumentorum similitudinem cognoscas, dialogum IX conferas cum Menandri Θρασυλέοντι,

dialogum XIII cum Μισουμένῳ. Ad exemplum Ῥαπιζομένης fortasse est adumbratus dialogus XV, cuius verba, nisi fallor, pessime inter se pugnant. Amator enim § 1 Αἰτωλός vocatur, § 2 vero nomen in Μεγαρέα transit. Colonus, qui apud meretricem erat, a rivali tam graviter vulneratur (§ 1), ut οὐκ ἴσασιν, εἰ βιώσεται, attamen § 2 vulnus non curans, statim ille ἀπέρχεται ὀψόμενός τινας φίλους τῶν ἀστικῶν, οἳ παραδώσουσι τοῖς πρυτάνεσι τὸν Μεγαρέα.

II. Cuius discrepantiae origine in medio relicta, nunc ad *Timonem* transeamus, quem dialogum Lucianus libere composuisse videtur ad Antiphanis exemplum. In qua fabula quanta cura comicorum oeconomiam secutus sit, inde cognoscimus, quod facile totus dialogus ita in scenas dividi potest, ut numquam plus quam tres personae inter se confabulentur. Praesertim alterius partis (41—58) compositio mihi duarum Aristophanearum fabularum structuram in memoriam revocat. Postquam enim Timon thesaurum repperit (41—46), quattuor scenae admodum laxo vinculo inter se conjunctae sequuntur, in quibus diversa hominum genera a Timone in antiquam restituto fortunam adulanter beneficia flagitant. Quae episodia, quod ad oeconomiam pertinet, cum Pacis et Acharnensium fine mihi comparanda videntur, ubi varii mercatores ad Trygaeum veniunt, vel diversae hominum species a Dicaeopolide pacis commoda deposcunt.

Uno autem conspectu ut Timonis compositionem tibi proponam, distributionem, quod ad septem priores scenas pertinet, a Kockio, alteram partem a me ipso delineatam, hic exscribere placet:

1\. (1—7) Monologia Timonis.
2\. (7—11) Jupiter et Mercurius in coelo (θεολογείῳ).
3\. (11—19) Jupiter, Mercurius, Plutus.
4\. (19—31) Mercurius, Plutus in via altercantes.
5\. (31—34) Mercurius, Plutus, Penia (παραχορήγημα).
6\. (34—41) Mercurius, Plutus, Timon.
7\. (41—46) Timon thesaurum invenit.

<table>
<tr><td>8.</td><td>(46)</td><td>Timon, Gnathonides</td><td rowspan="4">Comparandae cum Aristoph. Pac. 1145—1265. Acharn. 750—835, 860—970, 1018—1036, 1048—1068.</td></tr>
<tr><td>9.</td><td>(47, 48)</td><td>Timon, Philiades</td></tr>
<tr><td>10.</td><td>(49—54)</td><td>Timon, Demeas</td></tr>
<tr><td>11.</td><td>(54—58)</td><td>Timon, Thrasycles</td></tr>
</table>

Deinde (Timon 30) legens ἤν γε ἀπολίπῃς με, Ὑπερβόλῳ τάχα ἢ Κλέωνι ἐμπεσοῦμαι περινοστῶν et ὦ δημοκρατία καὶ νόμοι, παιόμεθα ὑπὸ τοῦ καταράτου ἐν ἐλευθέρᾳ τῇ πόλει (57), nullus jam dubito, quin in Atticorum comoedia, neque Antoninorum aevo versemur.

III. Quae de Meretriciorum Dialogorum et Timonis origine proposui, omnes lectores mihi assentiri credo; si tamen *Deorum et Marinorum dialogos* non ab eo affirmo esse scriptos, qui cum deis bellum internecivum gereret, sed a rhetore[1]), qui comicorum exempla imitaretur, multi statim exclamabunt: „Quid de satirico Luciano restat, si argumenta Deorum Dialogorum non ipse excogitavit, sed comicorum fabulis debet? Numquam credemus illa opera, quae a Byzantinorum aetate quasi perfectum Lucianei ingenii

1) Recte Rohdeus (Griech. Rom. p. 191) de dialogis judicat: „eine ziemlich leere Verspottung eines längst erstorbenen Götterglaubens."

exemplum laudabantur, pro nihilo esse judicanda nisi pro rhetoricis speciminibus, quibus Comoedia fontem praebuerit".

Multis igitur mihi opus erit testimoniis, unde Lucianum in argumentis eligendis Comoediae poetas secutum esse pateat. Statim comicum versum a Fritzschio in dial. Deor. 22. 1. indicatum laudare possim

ἦ πού τιν᾽ ἔλαβον αἶγα μοιχεύσας ἐγώ;

sed potius argumentorum similitudinem hacce tabula demonstrabo:

D. D. 3. ∾ Ἰώ Platonis, Sannyrionis.

D. D. 4 et 5. ∾ Γανυμήδης Alcaei, Antiphanis, Eubuli.

D. D. 6. ∾ Ἰξίων Eubuli.

D. D. 7. ∾ Ἑρμοῦ γοναί Philisci.

D. D. 8. ∾ Ἀθηνᾶς γοναί Hermippi.

D. D. 9. ∾ Βάκχου δευτέραι γοναί incerti poetae.

D. D. 10. ∾ Νὺξ μακρά Platonis, Ἀμφιτρύων Archippi.

D. D. 11. ∾ Ἐνδυμίων Alcaei.

D. D. 14. ∾ Ὑάκινθος Anaxilae.

D. D. 22. ∾ Πανὸς γοναί Ararotis, Philisci.

D. D. 23. ∾ Πρίαπος Xenarchi.

D. M. 1. ∾ Γαλάτεια Nicocharis, Κύκλωψ Antiphanis.

D. M. 6. ∾ Ἀμυμώνη Nicocharis.

D. M. 7. ∾ Ἰώ Platonis, Sannyrionis.

D. M. 14. ∾ Ἀνδρομέδα Antiphanis.

D. M. 15. ∾ Εὐρώπη Eubuli, Hermippi, Platonis.

IV. Varia deinde argumenta e comoediis desumpta dialogo *de Parasito* Lucianus in unum collegit. Quam originem nisi semper tecum reputes, quid tandem Lucianus hoc dialogo voluerit, effici nequit. Ipse Fritzschius in libris abjudicandis

cautus judex, cum in consilio exponendo ad incitas esset redactus, authentiam aliquamdiu in dubium vocavit.

Hirschig noster in dissertatione „de Parasito" p. 3, scripsit: „quodnam propositum habuerit auctor omnino, quidnam speciatim singulis voluerit, difficillimum est definire," addens, „hoc fortasse statuere poterimus, auctorem hunc libellum scripsisse eo consilio, ut exploderet aequales Platonem imitantes adhibito dialogi Platonici tenore." Quae opinio si vera esset, Parasitus cum Lexiphane (quod opus postea tractabo) comparari posset, ubi Lucianus aequales rhetores ob ridiculum priscorum verborum usum exaggerata imitatione perstrinxit. Sed hoc grave discrimen inter utrumque opus cernitur, quod Lexiphanis consilium quisque perspicit, in Parasito vero eandem parodïacam naturam Hirschigius ostendere non potuit. Nam occultam illam satiram, quam saepius repudiavi, hic non magis inveniri pro certo statuo. Imitationis vero comicorum memor, statim consilium neque id serium perspicias; parasito τῷ κεκωμῳδημένῳ γένει, ut Alexidis verbis utar, Lucianus varia judicia apud comicos de philosophis et rhetoribus inventa tribuit. Epicurus (11) accusatur a parasito; Aeschines, Aristippus, Plato (31), quasi ipsi parasiti facti essent, inconstantiae culpantur et Diogenes et Socrates tamquam in bello ignavi milites reprehenduntur (43). Quae convicia, satis frigida, e comoedia sumi potuisse nemo negabit, qui ab Aristophane usque ad Menandrum jocos in nobiles philosophos semper comicis poetis in deliciis fuisse secum reputaverit. Quae deinde de Isocrate et Demosthene (42) maligne narrantur, ex eodem fonte fluxisse puto; suspicor enim Lucianum in ea re Timoclem comicum ducem

habuisse, qui Demosthenem quasi timidum militem laceravit. (cfr. Kock, Timocles fr. 4 et 12).

V. Multo hilarior quam Parasitus ille, est *Vitarum Auctio*, ubi omnium sectarum magistros tamquam mancipia venire fingit, praeterquam quod non ipse Aristoteles sed Peripateticus quidam in scenam prodit. Nec mirum: nusquam apud comicos ille Stagirites, persona ad risum movendum non apta, partes agit, Pythagoras vero et inprimis Plato ob insolita eorum placita eluduntur.

Sed de Vitarum Auctione plura nunc non addam, quia ad huius dialogi compositionem infra redeundum erit, cum de Hermotimo pauca in medium proferam, hic tamen tabulam inseram, unde pateat, quantopere joci in philosophos in communi comicorum usu fuerint.

In Pythagoram eiusque sectam scriptae sunt fabulae:

Ἀλκμέων Mnesimachi, *Πυθαγοριστής* Aristophontis, *Μνήματα* Antiphanis, *Ταραντῖνοι* et *Πυθαγορίζουσα* et *Ἀτθίς* Alexidis, *Ταραντῖνοι* Cratini junioris.

In Platonem et Academiam:

Πλάτων Aristophontis, *Ναυαγός* Ephippi, *Ἀνταῖος* Antiphanis, *Ἱππεύς, Μίλκων, Ἀγκυλίων* Alexidis, *Δεξιδημίδης* Amphidis, *Πλούσιοι* Anaxilae et fabula quae superest Aristophanea *Ἐκκλησιάζουσαι*.

In Cynicos et Stoicos:

Φιλόσοφοι Philemonis, *Κώρυκος* Antiphanis et *Σύντροφοι* Damoxeni, ubi coquus Epicureus adversus Stoicos verba facit (cfr. Lucianeus parasitus in philosophos invehens), *Διογένους πρᾶσις* Hermippi.

In Aristippum:

Γαλάτεια Alexidis.

De Epicuro mentionem faciunt:

Ἀνδροφόνος, Συνεξαπατῶν Batonis, Φιλέταιροι Hegesippi.

In ipsum Aristotelem nullum convicium inveni, sed Peripatetici, divitias non respuentes, nonnumquam carpuntur.

VI. Angusto vinculo cum Deorum dialogis mihi conjunctus videtur *Prometheus sive Caucasus*, sed de comica huius operis origine nihil certi affirmare audeo. Nam quis discernere potest, utrum Lucianus, cum Promethei fabulam reficeret, comoediam paroediacam an satiram Menippeam (apud Varronem inter Menippea invenitur „Prometheus liber") secutus sit, vel potius e suo ingenio Aeschyleum Prometheum in risum vocaverit.

VII. Neque certius judicium de *Deorum Concione* proferre possum, quia argumentum Euphronis fabulae Θεῶν ἀγορά ad rixas antiquorum numinum cum deis peregrinis revocare nobis non amplius licet. A comoedia tamen illas deorum pugnas e. g. contra Sabazium gestas, non alienas fuisse testatur fabula Aristophanea, cui nomen est Ὧραι [1]). At Menippus satiricus fortasse partem Deorum Concionis sibi vindicare potest, quia noster dialogus cum duobus aliis, qui Cynicam doctrinam spirant, conjunctus esse videtur. Inter opera enim Luciani superest *Jupiter Confutatus*, ubi Cyniscus deorum potestatem prorsus nullam esse ostendit, quia, quae Fatum et Parcae voluerunt, tamquam apparitores perficiunt. Unde homines ignorantiae esse accusandos, si

---

1) Cic. de leg. II, 37. Novos deos sic Aristophanes vexat, ut apud eum Sabazius et quidam alii dii peregrini iudicati e civitate ejiciantur.

deos hostiis delinire pergant, concludit et, quod solum τὸ πεπρωμένον accidere possit, ne oraculorum vocibus aurem praebeant persuadet. Magna quoque Cynisco injuria videtur, homines post mortem ob peccata plecti, quippe quos Fatum ad facinora perpetranda coegisset. Quae ultima sententia etiam in dial. mort. 30 (i. e. in opere Menippeo) defensa verisimile reddit dialogum, ubi Cyniscus primas egit partes, ad Menippi exemplum esse compositum.

Quae autem in Jove Confutato contra deorum potestatem prolata sunt, eadem in posteriore parte *Jovis Tragoedi* (35 usque ad finem) iterantur. Deinde ille dialogus optimum nobis documentum praebere potest, qualis forma Menippearum fuerit satirarum, quae e poesi et pedestri sermone conflatae erant, ita ut Menippea huius quoque dialogi natura satis certa videatur.

„At quo tua argumentatio tendit", forte quispiam dicat, „quo vinculo Deorum Concio, de qua loquebaris, cum „Jovibus" est conjuncta?"

Statim hoc diagrammate respondebo:

Deorum Concio = Jup. Trag. 1—35.
Jupiter Confutatus = Jup. Trag. 35—finem.

Quae cum ita sint, utrum Cynicorum satirae an Comoediae Deorum Concionem auctor debeat, hodie non amplius discernere licet; in Jove autem Tragoedo forma e vincta et soluta oratione constans a Menippo desumpta est et in Jove Confutato Cyniscus primarum actor ad eandem originem referendus mihi videtur.

At horum librorum origine in medio relicta, Lucianum

in Dialogis Meretriciis, Timone, Dialogis Deorum et Marinorum, Parasito, Vitarum Auctione Comicos esse secutum, hac paragrapho demonstrasse mihi videor.

6. *De dialogis, in quibus placita Menippea cernere licet.*

Jam saepe in hoc capite Menippum Cynicum nominavi et utrum Lucianus nonnumquam illum satiricum an Comicos imitatus fuerit, difficile dijudicari posse modo vidimus. Antequam igitur disputando pergo, pauca de vita ac scriptis Menippi [1]) narrare mihi necessarium videtur.

Menippus in urbe Palaestinae Gadaris natus, vixit circa annum 300 usque ad 240 a. Ch. n. Primum servus fuit in Ponto, deinde in Graecia libertatem adeptus fenore faciendo maximas sibi divitias comparavit, tandem senex rebus humanis studiisque hominum despectis necem sibi ipse conscivit. Cynicorum doctrinam professus, varios σπουδογελοίους libros in celeberrimos philosophos, in deos ac aequalium religionem popularem, postremo in divitiarum atque honorum studia conscripsit. Quae propter opera primus Graecorum satiricus appellatus est.

Inter alios praesertim Varronem et Lucianum imitatores consecutus est, quorum prior ille sua opera, ab aliis Cynicas Satiras nominatas, ipse „Menippeas" dixit (Gellius II. 18. 7), hic in Bis Accusato (33) et in Piscatore (26) se Menippum in forma litteraria et in jocis contra antiquos philosophos secutum esse fatetur.

---

1) cfr. Wildenow. De Menippo Cynico. Halle 1881.

Tituli librorum a Menippo scriptorum apud Diogenem Laertium VI. 101. hi inveniuntur:

Νεκυία, Διαθῆκαι, Ἐπιστολαὶ κεκομψευμέναι ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προσώπου, Πρὸς τοὺς Φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικούς, καὶ Γονὰς Ἐπικούρου καὶ τὰς θρησκευομένας ὑπ' αὐτῶν εἰκάδας καὶ τἄλλα.

Quaestiones de ceteris libris praeteriens, Νεκυίαν et Ἐπιστολάς ad disputationem nostram infra adhibebo.

Ex Athenaeo (XIV. 629*e*) deinde notum est, Menippum Συμπόσιον scripsisse, ubi philosophi cum summo dedecore coenae cuidam interfuisse narrantur, unde Lucianum, cum ad comicorum exemplum suum Συμπόσιον reficeret, nonnulla etiam e Menippeo convivio haurire potuisse apparet.

Varronis autem Satirae Menippeae, quas modo nominavi, licet singulis tantum versibus supersint, tamen scriptorem suum magistrum in philosophis deridendis et vanis hominum studiis vituperandis secutum esse ostendunt. E. g. legitur fragm. 122 (Ed. Buecheler): „postremo nemo aegrotus quicquam somniat tam infandum, quod non aliquis dicit philosophus." Inprimis titulus cuiusdam Varronis satirae, quae περὶ αἱρέσεων inscribitur (fr. 400, 403 B.), nostro proposito est utilissimus, quia apud Lucianum dialogus eiusdem nominis de sectarum discrepantia scriptus invenitur („Hermotimus ἢ περὶ αἱρέσεων").

I. Qua notitia instructus ad Lucianum redeo, qui in *Cronicis* epistolas a Saturno ad pauperem sacerdotem et ad avaros divites missas enarravit. Nonne in hoc novo litterarum genere Menippi exemplum deprendimus, qui ἐπιστολὰς κεκομψευμένας ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προσώπου scripsit?

Nec epistolarum argumentum nostrae conjecturae refragatur, ubi praeter jocum in vetustum Saturnum Cynicorum placita de mortalium inanibus studiis leguntur. Divites Saturnus admonet, ut liberales erga egenos sint et persuadet divitias, nisi cum bona valetudine et sana mente conjunctae sint, nullius pretii esse aestimandas.

II. Quantopere autem Lucianus hanc Cynicorum ethicam doctrinam in dialogis variare amaret, e *Menippo sive Necyomantia* cernere licet, ubi denuo insana hominum ad dignitates contentio perstringitur (12—18) et inferorum plebiscitum ad exemplum Atticorum ψηΦισμάτων compositum divites, ut benigni sint, adhortatur (20). Etiam philosophiae studium ad nihil utile esse testatur Tiresias, cum privatorum vitam felicissimam esse judicat (21). Lucianeam igitur Necyomantiam magnam partem Menippeae Νεκυίας imitationem fuisse nulli absurdum videbitur.

III. Lucianum comicorum vestigiis insistentem philosophos in risum vocavisse e Parasito et Vitarum Auctione supra vidimus; quoniam autem in Piscatore Menippus accusatur, quod in hoc argumento Lucianum juvaverit, Menippeum opus, ubi deriderentur prisci philosophi, extare debuit, nec dubito quin etiam nunc supersit; nam, nisi fallor, hoc opus est *Dialogi Mortuorum*, ubi dial. XIII, XX, XXI mali rumores de Pythagora, Socrate, Platone, Aristotele sparguntur et ipse Menippus in decem dialogis mordacem Cynicum agit. Neque placita de vita humana desunt, quia dial. I, II, et XXVII divitiarum cupido, XXIV sepulcrorum luxus deridetur.

IV. Praeter philosophiae improbationem Tiresiae in „Me-

nippo" (21) et jocos in Dialogis Mortuorum, tertium documentum in *Hermotimo* ἢ περὶ αἱρέσεων invenimus, quod Lucianum in philosophia contemnenda Menippi discipulum fuisse probat. Etiam si tituli librorum (apud Varronem enim idem nomen repperimus) non congruerent, neque apud utrumque de viis a philosophiae ducibus patefactis mentio esset (Varr. fr. 402 „porro inde ab unoquoque compito ternae viae oriuntur, e quibus singulae exitum ac τέλος habent proprium. A primo compito dextimam viam munit Epicurus." Cfr. Hermot. 25, 26, 27, 46, 73) totum libri propositum Cynicam originem clamaret. Nam omnium sectarum physica et logica doctrina contemnitur, probitas vero, quae ἐν τῷ δίκαια καὶ σοφὰ καὶ ἀνδρεῖα πράττειν se ostendit, sola laudatur, (79 et 83) quocum optime convenit, quod Diogenes Laertius VI. 103 de Cynicis tradit: ἀρέσκει οὖν αὐτοῖς τὸν λογικὸν καὶ τὸν φυσικὸν τόπον περιαιρεῖν, μόνῳ δὲ προσέχειν τῷ ἠθικῷ.

Fortasse ex hac Cynicorum opinione explicari debet verborum discrepantia, quae in nostro dialogo regnare videtur. Nam etsi Lucinus veritatem philosophicam μετὰ πάντων ἀγνοεῖ (53) et declarat τοὺς φιλοσοφοῦντας περὶ ὄνου σκιᾶς μάχεσθαι (71) atque Hermotimus dicit φιλοσόφῳ δὲ ἐς τὸ λοιπὸν κἂν ἄκων ποτε ὁδῷ βαδίζων ἐντύχω, οὕτως ἐκτραπήσομαι καὶ περιστήσομαι ὥσπερ τοὺς λυττῶντας τῶν κυνῶν (86), tamen legimus verba ἐγὼ γὰρ οὐχ ὡς οὐ φιλοσοφητέον φημί (52). Quae dissensio si e Cynicorum doctrina explicari debet, ultimo loco φιλοσοφεῖν idem significat ac προσέχειν τῷ ἠθικῷ; praecedentibus vero locis οἱ φιλοσοφοῦντες illi sunt, qui physicis et logicis investigationibus dant operam. Sed alia fortasse

via haec discrepantia in nostrum dialogum irrepsit; jam supra in huius capitis paragrapho tertia obiter indicavi Lucianum, cum in Piscatore se philosophiam semper coluisse diceret, in Vitarum Auctionem, qui dialogus evidentissime cum illis verbis repugnabat, sententias inseruisse, quae aperte a libri consilio abhorrebant. Nunc mihi levis dubitatio oritur, utrum Hermotimus quoque eadem forma, qua primum compositus est, ad nos pervenerit, an postea Lucianus quasdam partes mutaverit et addiderit, quae melius cum judiciis in Piscatore prolatis congruerent. Fortasse huic secundae editioni debemus verba *ἐγὼ γὰρ οὐχ ὡς οὐ φιλοσοφητέον φημί* (Herm. 52), quo accedit, ut philosophorum pravi mores (8—13 et 80—83) eo modo carpantur, quo Lucianus postea in Convivio facere solebat; quia tamen certam opinionem de Hermotimo proferre non possum, potius ad Vitarum Auctionem transibo, ubi manifestius indicium immutationis repperisse mihi videor.

Quid argumenti in hoc libro invenitur?

Pythagoram (1—7), Diogenem (7—12), Aristippum (12), Heraclitum et Democritum (13—15), Socratem et Platonem (15—19), Epicurum (19), Chrysippum (20—26), postremum peripateticum quendam (26) tamquam vilia mancipia venire audimus. Quo nomine ergo dialogum indicasses, si tu, lector, opus scripsisses? Non dubito, quin *Φιλοσόφων πρᾶσιν* haberemus, sicut Hermippus comicus *Διογένους πρᾶσιν* fecit, ita ut Bernaysius, cum de nostro dialogo loqueretur, eum „die Philosophen-Versteigerung" recte nominarit. Mercurius tamen, quoties philosophum aliquem vendere fingitur, non ipsius nomen, sed „*βίον*" renuntiat, (1, 2, 7, 12, 13, 15, 20, 27)

quo ambiguo nomine etiam in titulo libri „βίων πρᾶσις" scriptor usus est.

V. d. Brunsius [1], cum de dialogis satiricis scriberet, optimo jure de Vitarum Auctione dixit: „der Griechische Leser oder Hörer konnte sich nun bei einem in persona auftretenden βίος sehr verschiedenartige Dinge denken." Qua ex ambiguitate nostrum librum et Piscatorem eodem tempore compositos esse effecit, ita ut scriptor priore dialogo, quasi alterius prologo, lectores exspectatione intentos reddere voluerit. Quia tamen Vitarum Auctio tantis mendis laborat, ut numquam Lucianum sua sponte dialogum tam prave composuisse credam, alia via difficultatem solvere conabor. Libenter Brunsio concedo, „dass dieser kleine Dialog mit dem unübersetzbaren Titel βίων πρᾶσις als abgeschlossene Publikation gedacht ein reines Unding ist," et, quia ex Piscatore explicatio Vitarum Auctionis peti potest, librum, qualem nos hodie habemus, eodem tempore, quo Piscator in lucem prodiit, editum esse puto. Cum Plato (Pisc. 4 et 15) et Diogenes (Pisc. 22 et 27) optimo jure satiricum accusassent, quod omnes philosophiae duces minimo pretio quasi mancipia vendidisset, Lucianus se non Diogenem sed flagitiosum Cynicum aequalem vendidisse respondet. (48 Pisc.) Nunc Vitarum Auctionem, ubi Cynicus βίος describitur, evolvamus (8—12). Quid invenimus? Prior pars (8, 9) respicit ad veteres illos cynicos, qui ἐλευθερωταὶ τῶν ἀνθρώπων καὶ ἰατροὶ τῶν παθῶν esse volunt, posteriore vero parte (10, 11)

---

1) I. Bruns. Luc. philos. Sat. Mus. Rhen. 1888.

quasi virtutes laudantur, quae Lucianus in aequalibus Cynicis vituperare solebat.

Quid de hac mira discrepantia censendum est?

Alteram partem, ni fallor, Lucianus postea addidit, cum in Piscatore se semper flagitiosos aequales persecutum esse scriberet.

Sed quid de totius dialogi compositione inde sequitur? Multo melius illud nomen *βίος* quadrat cum insertis verbis de aequalium vita, quam cum iis, quae alibi Lucianus ad personam et dogmata nobilis cuiusdam philosophi describenda dedit. Non primam igitur libri editionem nos habere conjicio, sed Lucianus, cum convicia in aequales cynicos addidisset, etiam titulum libri et Mercurii verba mutasse mihi videtur. Quod quam neglegenter et festinanter fecerit, inde quoque patet, quod nomina philosophorum e prima editione adhuc ante verba eorum praefixa remanserunt.

Cui mutationi utrum tribuam, quod verba in 15—19 non salva sunt (Socrates enim a Dione Syracusano emitur), an vitium sit codicum putandum, mihi non constat.

Ita de altera Vitarum Auctionis editione meam opinionem finxeram, cum Theodorum Prodromum *Βίων πρᾶσιν ποιητικῶν καὶ πολιτικῶν* scripsisse legi. Totam meam interpretationem subversam putabam, quia titulus *Βίων πρᾶσις* in communi scriptorum usu fuisse videbatur. Postquam autem diu neque sine labore illam alteram *βίων πρᾶσιν* quaesivi, tandem hoc opus inveni in „Notices et Extraits des manuscrits de la Bibliothèque Imperiale. Année 1810 Article 37," editum a. v. d. F. J. G. La Porte du Theil. Ubi non sine gaudio meo statim apparuit, illam *βίων πρᾶσιν* Theodori Prodromi

nihil esse nisi imitationem et continuationem Lucianei dialogi. (v. d. La Porte annotat: ce dialogue est une imitation et une parodie (?) de Lucien.)

Licetne mihi huius dialogi initium excribere?

Jupiter loquitur ad Mercurium: Τὸν μὲν τόπον, ὦ Ἑρμῆ, καὶ τὰ βάθρα (cfr. Luc. 1) καὶ τὴν λοιπὴν τοῦ πωλήτρου διασκευὴν χθὲς (i. e. in auctione Lucianea) εὖ ποιοῦντες τετεύχαμεν καὶ οὐκ ἂν δευτέρας ἡμῖν δεήσει παρασκευῆς.

Sicut Lucianus, ita Theodorus Mercurium βίους vendentem fingit, re vera Homerus, Hippocrates, Aristophanes, Euripides, Pomponius quidam, et Demosthenes veneunt.

Unum exemplum non illepidum imitationis addam:

Apud Lucianum (V. A. 8) emptor Diogenem rogat: τὸ πρῶτον, ὦ βέλτιστε, ποδαπὸς εἶ; Cynicus respondet: παντοδαπός. Apud Theodorum emptor Homerum rogat ὁποδαπὸς δὲ τὴν διάλεκτον εἶ; Homerus respondet: παντοδαπός.

Vides ergo, lector, Theodori imitatione meam conjecturam non labefactari et Vitarum Auctionem eo tempore, quo Piscatorem scripsit, a Luciano mutatam esse statuo; de discrepantia vero, quae est in Hermotimo, certam opinionem proferre non audeo.

Quo excursu de duobus dialogis postea mutatis ad finem perducto, nunc ad duo postremos dialogos, qui vanitatem mortalium vituperant, animos advertamus.

V. *Charon* feriatus ad superos ascendit ut, quasnam voluptates ademptas mortui in sua cymba deplorare soleant, cognoscat et a Mercurio amico, ut totam mortalium vitam sibi ostenderet, rogavit. Exspectatione tamen minora repperit: gloriam in palaestra multo sudore impetratam contem-

nendam (8), φιλοδόξους (10) et φιλοπλούτους (11) insaniae accusandos esse invenit. Sepulcrorum deinde luxuriem aspernatus ad inferos redire cupit, quia mortales omnia animo secum volvunt, περὶ Χάρωνος δ' οὐδεὶς λόγος ἐστίν.

VI. In *Navigio*, ubi priore dialogi parte navis oneraria et Piraei nauticus strepitus vivis coloribus depinguntur, tres amici Adimantus (10—28), Samippus (28—41), Timolaus (41—45) semper quod abest, avent, praesentia temnunt; Lucinus autem, qui familiarium cupiditates jocose vituperat, cynici partes agit.

Quid vero de origine Charonis et Navigii, ubi doctrina Cynica aeque ac in praecedentibus libris commendatur, concludere licet?

Fortasse Charon ad quoddam Menippi exemplum compositus est, qui tam saepe fabulas a deis inferis agi finxit, sed quia documenta desunt, litem dirimere non audeo. Quod vero ad Navigium pertinet, Piraei descriptio atque dialogi color tantum a praecedentibus discrepant, ut a Luciano ipso excogitatum esse mihi verisimile videatur.

Ratione igitur subducta, Cronica, Menippum sive Necyomantiam, dialogos Mortuorum, Hermotimum e satiris Menippeis originem traxisse credo; Jovem tamen Confutatum [1]) (simul cum Deorum Concione a me tractatum), Charonem et Navigium, licet Cynicorum doctrinam spirent, ad ejusdem satirici exemplum compositos esse non amplius statuere licet.

---

1) cfr. p. 79 meae diss.

7. *De dialogis, in quibus verba Cynica comicis personis tribuuntur.*

I. *Jovem Tragoedum*[1]) utrum ob litterariam formam e poesi et pedestri sermone compositam Menippo an propter Damidem Epicureum Comoediae adscribere deberem (cfr. fabula Menandrea Ἐπιτρέποντες, ubi de numinum providentia disputant), diu haesitavi; denique duplicem naturam admisi.

Deinde in Menippo et Charone, duobus libris Cynica doctrina refertis, primarum actores comicos pannos suo ornatui adsuerunt. Menippus pellem leoninam ab Aristophaneo Baccho, Charon a Xanthia dictum illud „περὶ ἐμοῦ δ' οὐδεὶς λόγος" mutuatus est.

Multo tamen clarius Icaromenippus, Gallus et Tyrannus nos docent, quomodo Lucianus comoediae auxilio usus fuerit, ut sententias Cynicas redderet hilariores.

II. In *Icaromenippo*, cuius argumentum jam novistis[2]), tria satirarum genera, quae antea singulis dialogis exercuit, nunc conjuncta leguntur. Philosophi (4—10 et 29—34), deorum vita domestica (21—34), studia mortalium (11—20), qua sunt inanitate, eluduntur. Verum non jam morosus Saturnus (in Cronicis) vel ipse mordax Menippus de perversa hominum natura queritur, Menippus mutatus est in Icaromenippum, Saturnus in Jovem Epicureum. Quam dialogi naturam ad comicorum festivitatem mutatam ipse Lucianus nomine Icaromenippo, quod ad comicorum exemplum

1) cfr. p. 80 meae diss.
2) cfr. p. 58 meae diss.

formaverat (cfr. Orestautoclides, Dionysalexander, Demotyndareus) fortasse indicare voluit.

Licet autem homines e Diadochorum aevo (15) depingantur et Olympiaeum Atheniense a Hadriano anno 129 dedicatum, nondum absolutum dicatur (24), Fritzschium tamen omnino latuit in antiquorum (aut Comicorum aut Menippi) imitatione totum opus versari. Ex fine enim dialogi, ubi Jupiter philosophos, quia religionem popularem impugnent, se perditurum esse minatur, ille vir doctus conclusit (Ed. Luc. II, 1. 159) opus esse scriptum brevi tempore post mortem M. Aurelii, cum Commodus philosophis persecutionem indicaret.

At ipsa verba Luciani consulamus: Jupiter poenas differre vult, *ἱερομηνία γάρ ἐστιν, ὡς ἴστε, μηνῶν τούτων τεττάρων, καὶ ἤδη τὴν ἐκεχειρίαν περιηγγειλάμην. ἐς νέωτα οὖν ἀρχομένου ἦρος κακοὶ κακῶς ἀπολοῦνται τῷ σμερδαλέῳ κεραυνῷ,* quae verba e comica scilicet dialogi natura explicari debent, neque quidquam serii continent. Ignavus enim Jupiter (cfr. Biss. Acc. 4) qui, ne strenue agere cogatur, omnem moram arripit, supplicium philosophorum in annum sequentem, cum vere novo fulmina a Cyclopibus refici soleant, differt. Quanto doctior est illa Fritzschii explicatio, qui poenae prolationem eo refert, quod Commodus post bellum cum Marcomannis finitum supplicationem (*ἱερομηνίαν*) Romanis indixisset, per quod tempus aliquem persequi nefas putabatur. Quam opinionem, quod ad historiam pertinet a v. d. Brunsio jam refutatam, denuo redarguere supersedeo, quia in nostro dialogo non imperatores Romani, sed comicae personae e Diadochorum aetate et antiqui dei lepide inducuntur. Icaromenippus igitur non anno 180, sed

eodem fere tempore, quo „Menippus", i. e. ante annum 165 scriptus est.

III. Aliud documentum, quod Lucianum placita cynica comicae personae tribuisse probat, *Gallus* est putandus, ubi gallus domesticus dominum Micyllum divitias somniantem cantu e somno excitat et pauperes parvo contentos feliciter vivere, divites et potentes semper sollicitudinibus vexari demonstrat (21—28). Initium dialogi statim comoediam in memoriam revocat, atque fuerunt viri docti, qui epistolam Alciphroneam (3. 10) ex eodem fonte fluxisse putarent. Quae opinio licet nimis incerta sit, alia tamen scena (29—33) ab omni parte ad comicam normam est redacta, quam originem dudum detexit Valckenaerius; Kockius autem fragmentum e Theogneti fabula Φιλάργυρος ἢ Φάσμα hic legi, fortasse recte divinavit.

IV. Idem autem Micyllus, in Gallo φιλόπλουτος, in *Tyranno* ad meliores cogitationes mutatus apud inferos perfectum cynicum agit. Quem tertium dialogum qua causa ad Menippi normam compositum sed Comicorum ornamentis illustratum esse credam, paucis exponam. E Mortuorum Dialogis et Necyomantia apparuit Menippeas fabulas saepe apud inferos actas esse; quia praeterea iidem, qui in Cynicis dialogis verba faciebant, Charon, Mercurius, Cyniscus, etiam in Tyranno φιλοδόξους increpant, Lucianum in hoc quoque opere conficiendo Cynici magistri memorem fuisse verisimile est. Pro ornamentis vero e comoedia petitis, fabellam in § 12 narratam et testimonia, quae „Lucerna" et „Lectulus" in tyrannum Megapenthem proferre narrantur, habere velim. Quas varias partes Lucianum non apte conjunxisse e joco

moleste iterato effici potest, ubi et Cyniscus et Micyllus se nullum obolum secum attulisse Charoni dicunt (19 et 21); deinde orationes ad Rhadamanthum ab utroque habitae nihil inter se distant (24, 25), ita ut Micyllum in dialogum a Luciano demum esse insertum pro certo affirmare ausim. Quo accedit, quod locus, ubi Micyllus Cyniscum serio rogat, num Eleusiniis mysteriis sit initiatus, prave a Luciano est additus, quia non Cynicorum erat haec mysteria magni facere.

Vides ergo, ut quae hac paragrapho consecutus sum, comprehendam, in tribus dialogis Icaromenippo, Gallo, Tyranno Cynica verba, quae Lucianus Menippi memor scripsit, comicis personis (Icaromenippo, Gallo, Micyllo) tributa et indolem dialogorum jocosis e comoedia scenis additis hilariorem esse factam. Nunc ad Nigrinum, unde disputatio exorsa est, redeo atque vos rogo, nonne mea opinio de comica illius philosophi origine magnam veri speciem prae se ferre videatur.

Antequam vero ad ultimam huius capitis paragraphum transeo, documenta, quae Lucianum in operibus componendis neglegenter egisse probant, hic indicabo:

1°. Nigrinus Platonicus cynica dogmata docet.

2°. Amator in dial. Mer. XV modo Megarensis, modo Aetolus nominatur, modo ad necem vulneratur, modo statim abit.

3°. In Hermotimo philosophia passim contemnitur, uno tamen loco laudatur.

4°. In Vitarum Auctione *βίοι* renuntiantur, philosophi ipsi veneunt. Socrates a Dione Syracusano emitur.

5°. Icaromenippus, postquam in coelum adscendit, itineris consilii repente oblitus est.

8. *Conclusio.*

Habetis disputationem bene longam hominis utinam ne temerarii, illud quidem certe, non nimis in aliorum explicationibus impugnandis verecundi, sed mihi ignoscetis profecto, si modŏ, quantopere virorum doctorum opiniones a jocosa Luciani indole abhorreant, vobiscum reputaveritis.

Nisi vero, quaecumque de secundae aetatis operibus undique collegi et particulatim proposui, uno conspectu amplexus fuero, magnopere metuo ne, qua necessitudine dialogi inter se cohaereant et sibi succedant, parum perspicue ostendisse videar.

Ad primam igitur aetatem, cuius imaginem capite secundo, quantum potui, delineavi, nobis est redeundum. Jam tum Lucianum dialogos composuisse vidimus, e quibus Anacharsis satiricam indolem spirare videbatur et Toxaris primum erat specimen, in quo scriptor ad eroticas fabulas transiit.

Dialogi Meretricii, a prima Toxaridis fabula non multum diversi et Timon seriem dialogorum e secunda aetate aperiunt. Deinde comicorum jocis delectatus pergit ad Dialogos Deorum et Marinorum, Parasitum et Vitarum Auctionem; fortasse ex eodem fonte Prometheum et Deorum Concionem hausit. Eodem tempore vel brevi post in Cronicis, Dialogis Mortuorum, Menippo sive Necyomantia, Hermotimo, fortasse in Charone, Jove Confutato, Navigio Menippum satiricum secutus est.

Postremo in Jove Tragoedo, Nigrino, Icaromenippo, Gallo, Tyranno dogmata Cynica personis comicis tribuit, vel alio modo *γέλωτι κωμικῷ σεμνότητα φιλόσοφον* hilariorem et gratiosiorem reddidit.

In quibus omnibus dialogis non Luciani aequales perstringuntur, sed antiqui dei, venerabiles philosophi, praesertim autem vana mortalium studia Comicorum vel Menippi modo risui traduntur.

In Bis Accusato demum in flagitiosos aequales animadvertere simulque honorifice de philosophia loqui coepit. In Piscatore, qui dialogus secundam aetatem claudit, palam antiquos philosophos se colere dicit, et se ab eo tempore quasi censorem aequales notaturum esse promittit.

Origine autem et compositione dialogorum cognitis illos nihil nisi rhetoricae disciplinae specimina putanda esse intellegimus. Quam naturam eo quoque demonstrare possum, quod Lucianus eodem tempore, anno nempe 162, Imagines, laudationem in Pantheae honorem, rhetorum more composuit.

Deinde in Rhetorum Praeceptore, quem librum contra aequales post comicos et cynicos dialogos scriptum esse (± 165) in sequenti capite videbimus, se non diu ante, sed nuper Rhetoricam deseruisse verissime dixit (ἐγὼ δὲ παύσομαι τῇ ῥητορικῇ ἐπιπολάζων, μᾶλλον δὲ ἤδη πέπαυμαι) (26).

Lucianum igitur, cum se quadragenarium declamationes deserendo etiam Rhetoricam deseruisse in Bis Accusato diceret, mentitum esse videmus et quinquagenarium potius Rhetorica ab omni parte relicta censorem aequalium factum esse optimo jure dicere possumus.

CAPUT QUARTUM.

DE LUCIANO AEQUALIUM SUORUM CENSORE.

1. *De satiris contra cynicos scriptis. Quatenus Lucianus Christianorum irrisor sit putandus.*

Patet ergo e praecedenti capite Lucianum ad veterum Comicorum et Menippi exemplum religionem traditam, antiquorum philosophiam et mortalium studia, quasi ad nihil utile ducerent, magis, ut auditorum animos hilari narratione sibi devinciret, derisisse, quam ut vitia, quibus singuli aequales errarent, castigaret. In ultimis tamen dialogis, quos secunda aetate scripsit, prima invenimus indicia, unde eum jocos agere desinentem serio in sapientiae et continentiae simulatores, quos quotidie ante oculos haberet, animadvertisse apparet.

In Piscatore (52), qui dialogus praecedentia opera claudens judicia antea prolata corrigit, Lucianus Philosophiae defensor factus, aequales, ut qui libidinosi et ignorantes viverent, injuria philosophorum nomen usurpasse, se ostensurum esse

promisit. Neque fidem praestare cessavit; nam dialogo Fugitivis et libro de Morte Peregrini Cynicos, qui Antoninorum temporibus numero et conspicuo ornatu aliorum sectas superabant, impuritatis et iactantiae insimulavit.

Licet autem *Fugitivorum* initium, ubi scriptor ad Peregrini cremationem quasi ad rem omnibus notam alludit, verisimile reddat diatriben de huius Cynici morte priorem esse scriptam, tamen ut inversa ratione disputationem inciperem, duae me causae commoverunt. Ad judicia enim, quae de aequalibus philosophis in Bis Accusato et in Piscatore tulerat, respiciens Lucianus in nostro dialogo (Fug. 24) ita opinionem mutavit, ut quos probandos antea *πολλούς*, deinde *τινάς* vocasset, nunc in *πάνυ ὀλίγους* contraheret. Indoles quoque Fugitivorum fere eadem est, quae in praecedentis aetatis dialogis conspicitur. Nam Lucianus, qui tam diu in Comicorum imitatione versatus magistros repente deserere non posset, totum dialogi finem (22—23), ubi tres aequales quasi servi fugitivi excipiuntur, ad comoediae normam expressit. Inspicias locum (31), ubi pera, quam Cantharus cynicus secum gesserat, excussa, non ciceres vel crustulum panis, sed *ζώνη χρυσίου* deprenditur. Hercules eorum, qui fugitivos persecuti erant, strenuus adjutor exclamat: *μὴ θαυμάσῃς· κυνικὸς γὰρ ἔφασκεν εἶναι τὸ πρόσθεν ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος· ἐνταῦθα δὲ Χρυσίππειος ἀκριβῶς ἐστίν*, quocum joci e Piscatore (45, 51) conferendi sunt. Quantopere autem per totam hanc scenam comicorum festivitas regnet, ipsa Cynicorum nomina probant, quorum unus convenienter squalidis moribus Cantharus, duo *κατ᾽ ἀντίφρασιν* Lecythion et Myropnus vocantur.

Habemus igitur Fugitivos quasi primum testimonium,

unde Lucianum censorem factum esse apparet, atque illam sectam primam notavit, quae sibi, urbano homini, maxime taedio esse debebat.

Quapropter *Cynicum*, qui libellus perpetua Cynicorum defensio putanda est, a Luciano esse profectum, non facile mihi quisquam persuadeat atque Byzantinis testantibus *κινδυνεύει οὗτος ὁ λόγος ἄλλου του νομισθῆναι καὶ οὐ Λουκιανοῦ* libenter assentior. Quod subditicium opus compositum esse a cynico philosopho, qui crimina in suam sectam a Luciano prolata redarguere conaretur, haud improbanda est conjectura Fritzschii, qui sermonem quoque a satirico alienum esse judicavit. (Cfr. Praef. ad Fugit. Ed. Fritzsch.)

At pergamus ad librum *de morte Peregrini*, ubi flagitiosa illius Cynici vita longa explicatur oratione, deinde inaudita mors, cui ipse Lucianus aderat, maligne narratur.

Olympiis enim ad Graecorum populum a quodam concionem haberi fingit, in qua tota Peregrini a prima juventute vita omnibus inquinata flagitiis explanatur. Patrem interfecisse, moribusque impurissimis vixisse dicitur, atque inter alia crimina eum objurgat orator, quod aliquamdiu Christianorum fidem amplexus nimia eorum credulitate pessime esset abusus. Postquam vero *ἐσθίων τῶν ἀπορρήτων αὐτοῖς* religione violata repudiatus est, iterum Cynicum profiteri coepit et ut praeclarum finem vitae imponeret, ludis Olympiacis anni 165 voluntariam mortem igne sibi conscivit. Lucianus, qui festo aderat, inaudito hoc spectaculo carere noluit, et, cum in facinore nihil nisi insanam ambitionem et ostentationem cernere posset, acerbissime in philosophum invectus est. Quin etiam paulo iniquius de nostro Peregrino eiusque

discipulo Theagene Lucianum judicasse probabilis est opinio Bernaysii [1]), qui, quid alii aequales de utroque sentirent, efficere studuit. Gellius enim (8. 3 et 12. 11) Peregrinum gravem atque constantem virum fuisse et utilia praecepta docuisse declarat; Galenus (meth. medend. 13. 15) de Theagene, ut de simplice homine et ob doctrinam Romae nobili, honorifice mentionem facit.

At ob aliam causam quam propter crimina in duo Cynicos libellus de Morte Peregrini nobilior est; usque ad medium nostrum saeculum multi, quod Lucianus paucis paragraphis de Christianis non benigne judicasset, totum librum pro occulta satira in martyres, velut Ignatium et Polycarpum, habuerunt. Quod apud alios quoque scriptores de Theagene et de Peregrino atque de alterius voluntaria morte esset sermo, id nihil curabant; neque secum reputabant, Lucianum, si supplicium pro fide Christiana subitum deridere voluisset, ipsa martyrum nomina non celaturum, neque contra sectam illis temporibus adhuc despectam tantis ambagibus usurum fuisse.

Itaque inepta hac opinione rejecta nunc ad rem maioris momenti transgrediamur, et quidnam Lucianus de vita publica et institutis priscorum Christianorum obiter narraverit, consideremus.

Christiani, sic § 11—14 loquitur, sunt homines, qui virum in Palaestina cruce suspensum novorum auctorem mysteriorum, omnibus Graecorum deis spretis, quasi deum colunt et adorantur. Immortalitatem exspectant atque propterea ter-

1) J. Bernays, Lukian und die Kyniker, p 14.

restria bona minimi faciunt ipsamque adeo mortem subire non recusant, vel potius ultro sese supplicio tradunt. Praeterea primus eorum „legislator" se invicem pro fratribus habere et omnia fortunae bona tanquam communia putare jussit, quare iis benigne munera impertiunt, quos propter religionem aut possessionibus exturbatos aut á magistratibus in carcerem conjectos videant. Sacros libros in concionibus legunt, quos, si quis aliis praestat doctrina, interpretatur. Si quem leges suas, velut de alimentis negatis, migrantem videant, eum a coetibus repudiant.

Verba, quibus Lucianus utitur in Christianorum ritibus describendis, vel a Judaeorum cultu vel a Graecorum institutis petita sunt. Nam qui aliquo munere funguntur, *γραμματῆς*, *προφῆται*, *συναγωγῆς* vel *ἱερῆς*, *προστάται*, *οἱ ἐν τέλει* vocantur, et evangelium Christi quasi *τελετὴ καινὴ* describitur. Quae nomina num omnia apud priscos Christianos in usu fuerint, dijudicare non audeo, sed praefracte nego Lucianum, licet Christianam benignitatem erga punitos, immortalitatis fidem et divinum Christi cultum cognoverit, intimam quoque religionis vel sacrorum librorum notitiam ostendere. Byzantinos igitur et posteriores, cum in Veris Historiis et alibi parodiam occultam in Christum, Mosea, Josephum aliosque cernere opinarentur, ab omni parte erravisse facile intellegas.

Contrario autem errori obnoxii erant illi, qui satiricum erga nostram religionem benevolum fuisse crediderunt [1]). Qui

---

1) A. Kestner et La Croce Lucianum furtim Christianae religioni addictum fuisse opinati sunt.

enim Christum τὸν ἀνασκολοπισθέντα ἄνθρωπον sive τὸν ἀνεσκολοπισμένον σοφιστήν et eos, qui illius praeceptis addicti erant, κακοδαίμονας ipsamque religionem θαυμαστὴν σοφίαν nominat, magnae reverentiae proximus non est putandus. Neque facio cum Sommerbrodtio [1]), qui Lucianum eam ob causam aliis paganorum scriptoribus anteponit, quod Christianis multo benevolentior esset quam Plinius, qui iis „pervicaciam" et „inflexibilem obstinationem" objicit vel Tacitus, qui eorum „exitiabilem superstitionem" condemnat. Immo si verbum Paulinum ad Corinthios aliquantum mutare liceat, dicere velim τὸν Χριστὸν ἐσταυρωμένον Ῥωμαίοις μὲν σκάνδαλον, Λουκιανῷ δὲ μωρίαν εἶναι.

Cuivis, quantulum Lucianus de Christianorum doctrina cognoverit, secum consideranti statim apparebit fieri non posse, ut opus Lucianeum sit *Philopatris*, ubi „Trinitas" et mundi creatio secundum Christianorum libros narrata, a scriptore in ludibrium vocantur. Neque in dubia re versamur, quia Gesnerus, qui primus ad quaestiones Lucianeas viam aperuit, singulari libello anno 1715 edito, eum dialogum vel ob graecitatem damnandum post Constantini tempora esse scriptum historicis argumentis demonstravit. Munus enim ἐξισωτῶν, in Philopatride memoratum, in altero demum quarti seculi dimidio creatum esse invenit.

2. *De ceteris aequalium studiis a Luciano vituperatis. De Julio Polluce.*

At non Cynici soli ludibrio et dolori erant Luciano. Omnium sectarum pravos discipulos cum veris philosophis

---

1 Ed. Weidm. Praef. p. 41.

nomen solum et externam speciem communem habentes sequentibus satiris aggressus est. Quo loco tres mihi libri nominandi sunt, quorum quem lepidissimum vocare debeam nescio, quia tam praeclari et ab omni parte perfecti sunt, ut tuto cum optimis antiquorum Graecorum litteris conferri possint.

Legistine unquam coenae descriptionem, ubi singulorum convivarum mores magis accommodate depingantur quam in *Convivio* [1]) Lucianeo? Nonne jocose in Φιλοψευδέσι philosophi perstringuntur, qui, quamvis propter sapientiam coli velint, credulitate aniculis antecellant? Quantopere Luciani aequales fabellis de mostellis et magorum artificiis delectarentur, optime ex illorum philosophorum sermonibus [2]) cognoscere possumus. Neque praetereundus est ille celeberrimus liber *de Mercede Conductis*, ubi scriptor Thesmopoliden Stoicum ridens deplorat et infelices illos Graeculos miseratur, qui inopia coacti in nobilium Romanorum aedibus sortem passi sunt servili infortunatiorem.

Verum non solum in philosophis et Romanorum nobilibus castigandis Lucianus se continuit, qui suis veteribus magistris — sophistas dico — ob inanem et turgidam naturam non pepercit.

Libro *de Historia Conscribenda* [3]) rerum scriptores derisui habuit, qui e Thucidide vel si quis alius pro perfecto auctore habebatur, pulchras descriptiones et sententias furati res bello Parthico (162—165) gestas ad rhetoricam declamationem exornabant.

---

1) Cfr. p. 37—39 meae diss., ubi comicam Convivii originem tractavi.
2) Philops. 30 et 31 comparari potest cum Plin. Ep. VII, 27.
3) Quod opus eidem Philoni est datum, cui Lucianus Convivium misit.

Aliud vitium Antoninorum seculo divulgatum, nimium dico obsoletarum locutionum studium, in risum vocavit, cum in *Lexiphane* convivii descriptionem totam e priscis verbis construxit. In *Rhetorum Praeceptore* denique, omnia peccata, quae sophistarum studia deformare solebant, complexus magistrum quemdam totam rhetoricam disciplinam novo discipulo exponentem fingit.

At paululum hic subsistamus, ut, quo tempore ille liber scriptus sit, pro certo statuere conemur. Statim post rhetoricam artem a Luciano desertam i. e. circa annum 165 opus compositum esse efficitur e verbis, ubi de se ipso loquitur: (26) *ἐγὼ δὲ παύσομαι τῇ ῥητορικῇ ἐπιπολάζων, μᾶλλον δὲ ἤδη πέπαυμαι.* Quae opinio eo fulcitur, quod libri compositio cum Fugitivorum oeconomia comparanda mihi videtur, ubi priore dialogi parte omnes cynicos lacerari, in fine tres aequales quasi servos deprehendi vidimus. In nostro Rhetorum Praeceptore usque ad duas ultimas paragraphos omnium sophistarum disciplina deridetur; in fine satirae quidam Luciani inimicus aperte et inclementer objurgatur. Quia autem sub illo inimico Julius Pollux, qui Commodo regnante floruit, viris doctis [1]) latere videtur, noster liber ad posteriora tempora referri solet. Attamen quo argumento nititur illa conjectura, jam a Byzantinis [2]) commemorata, de Julio Polluce

---

1) Cfr. Rohde, Griech. Roman, p. 317.
„ Richard, Ueber die Lucinusdial. Lucians, p. 3.

2) Schol. ad tit. libri: *φασὶν, εἰς Πολυδεύκη τὸν ὀνοματολόγον ἀποτεινομενον Λουκιανὸν τοῦτον γράψαι τὸν λόγον καὶ ἴσως οὐκ ἀπὸ σκοποῦ ταῦτα εἴρηται, ἐπεὶ καὶ συγχρόνω ἄμφω ἐπὶ Μάρκου τοῦ Αὐτοκράτορος.*

Ad § 24 alius, ut mihi videtur, scholiasta scribit: *ἐντεῦθεν ἀναντίρρητον ἤδη ὡς Πολυδεύκη διασύρει ὁ παρὼν λόγος.*

a Luciano objurgato? „Notum est" inquiunt viri docti, „Pollucem Naucrate oriundum Aegyptiacum nominari posse, et Lucianus de Aegyptiacis servis loquitur." Consulamus ipsa verba: *ὁρᾷς ἐμέ, ὃς πατρὸς μὲν ἀφανοῦς καὶ οὐδὲ καθαρῶς ἐλευθέρου ἐγενόμην, ὑπὲρ Ξοΐν καὶ Θμουΐν* (nomina servorum Aegyptiorum) *δεδουλευκότος* (24). At hercle, si quis patre, qui duriorem sortem quam Aegyptiaci servi tulit, ortus est, ipse vel pater eius in Aegypto est natus? Statim ad gravius argumentum, quod proferunt, transeamus: ille inimicus de se loquitur: *οὐκέτι Ποθεινὸς ὀνομάζομαι ἀλλ' ἤδη τοῖς Διὸς καὶ Λήδας παισὶν ὁμώνυμος γεγένημαι.* Neque haec verba in Pollucem dicta sunt, quia Lucianus tum dicere debebat: *ἀλλ' ἤδη τῷ ἑτέρῳ τῶν Διὸς καὶ Λήδας παίδων ὁμώνυμος γεγένημαι.* Quae cum ita sint, non Julium Pollucem sed Dioscuridem [1]) aliquem rhetorem nobis ignotum, a scriptore designari censeo, nullaque igitur causa obstat, quominus Rhetorum Praeceptorem circa annum 165 [2]) scriptum esse sumamus.

Postremo *Verae Historiae* mihi laudandae sunt, in quibus Lucianus genus litterarum secundo p. Ch. n. seculo a sophistis strenue exercitum et hominum auribus gratissimum exaggerata imitatione expressit. Magno enim ardore illa species narrationum excolebatur, quae in describendis casibus, quos

---

1) Postea ex Hemsterhusiana editione Pollucis (Praef. pag. 31. Ed. 1706) cognovi jam Palmerium (saec. XVII) Dioscurum quendam vel Dioscuridem hic designari conjecisse. Quae tamen causae illum v. d. ad hanc opinionem moverint, invenire non potui.

2) Non multo post Bis Accusatum Rhet. Praec. mihi scriptus esse videtur, quia § 8 et § 26 nostri libri et in fine Bis. Acc. mentio fit de matrimonio cum Rhetorica inito.

peregrinatores in remotis regionibus experti essent, constabat. Quae scripta quia omnia perierunt, damnum, quantum potest, exerpto resarciendum est, quod Photius (Bibl. c. 166) ex itinere ab Antonio Diogene narrato (τῶν ὑπὲρ Θούλην ἀπίστων λόγοι κδ') nobis tradidit, sed multo huic exiguo excerpto praestant, quae Lucianus de hoc litterarum genere paroediaca imitatione in Veris Historiis nos docuit.

Fabulatorum amplo genere dicendi assumpto se procella sublatum, postquam varios casus in mari aperto et in Bacchi insula subiisset, in Lunam pervenisse narrat. Varias coeli regiones permensus in Oceanum rursus delapsus est et inter alia pericula sibi obeunda aliquamdiu in balaenae ventre vitam sustentavit. Etiam in Beatorum Insula liberali receptus est hospitio, ubi cum magnis antiquae philosophiae ducibus amicitiam contraxit. In illa optimorum republica Epicurus, qua erat urbanitate, coenae praeest, atque Diogenes saepe post convivium ebrius saltat cum Laide meretrice, quam uxorem duxit. Socrates delicatos juvenes velut Hyacinthum sectatur, et Plato alios cives aspernatus in propria civitate suis legibus gubernata solus habitat. Quam festivus est narrationis locus, ubi Ulysses, cum in eo esset, ut peregrinatores insulam beatorum relinquerent, celerrime accurrit, ut litteras amatorias ad Calypso missas proficiscentibus mandaret. Quo episodio de antiquis philosophis et Ulysse a Luciano ad comicorum normam composito ad peregrinatorum genus narrandi rediit, et quae iterum miracula in Oceano perpessus fuerit, jocose fabulatur. Quid autem consilii Lucianus in Veris Historiis scribendis sibi proposuisset, initium libri (1—5) nos docet, ubi se argumentum arri-

puisse dicit, ut hilaris narratio homines litteratos, cum a seriis requiescerent, recreare posset. At utile dulci miscere voluit, cum mirabilia exaggerando ostenderet, quam inepti essent illi fabulatores, qui mentiendi libidine abrepti inauditas narrationes, quasi sibi ipsis accidissent, auditoribus venditare conarentur. Ne tamen quisquam, quid ipse de mirabilibus sentiret, dubitaret, manifeste declaravit: *ἐπεὶ μηδὲν ἀληθὲς ἱστορεῖν εἶχον, ἐπὶ τὸ ψεῦδος ἐτραπόμην πολὺ τῶν ἄλλων εὐγνωμονέστερον· ἓν γὰρ δὴ τοῦτο ἀληθεύσω λέγων, ὅτι ψεύσομαι* (4). Haud ignarus autem, quam prospere illa ironica narratio sibi cessisset, se postea eodem modo perrecturum esse in fine alterius libri (II, 47) promisit. Proxima ergo disputatione inquiramus, num haec promissa praestiterit.

3. *De ratione, quae inter Lucium Patrensem et Lucianum intercedit.*

Varios Lucii juvenis in asinum mutati casus, et quomodo in veterem restitutus sit formam, duo scriptores Lucianus in fabula, cui nomen est *Lucius sive Asinus* et Apuleius in Metamorphosibus nobis narrarunt. Tertius auctor e Photii Bibliotheca (c. 129) cognoscitur Lucius Patrensis, qui in duobus primis suarum Metamorphoseon libris eodem argumento usus est. Quae Photii verba ita leguntur:

Ἀνεγνώσθη Λουκίου Πατρέως μεταμορφώσεων λόγοι διάφοροι. ἔστι δὲ τὴν φράσιν σαφής τε καὶ καθαρὸς καὶ φίλος γλυκύτητος· φεύγων δὲ τὴν ἐν λόγοις καινοτομίαν εἰς ὑπερβολὴν διώκει τὴν ἐν τοῖς διηγήμασι τερατείαν, καὶ ὡς ἄν τις εἴποι, ἄλλος ἐστὶ Λουκιανός. οἱ δέ γε πρῶτοι αὐτοῦ δύο λόγοι μόνον οὐ μετεγράφησαν Λουκίῳ

ἐκ τοῦ Λουκιανοῦ λόγου, ὃς ἐπιγέγραπται Λοῦκις ἢ Ὄνος, ἢ ἐκ τῶν Λουκίου λόγων Λουκιανῷ. ἔοικε δὲ μᾶλλον ὁ Λουκιανὸς μεταγράφοντι, ὅσον εἰκάζειν. τίς γὰρ χρόνῳ πρεσβύτερος, οὔπω ἔχομεν γνῶναι. καὶ γὰρ ὡς ἀπὸ πλάτους τῶν Λουκίου λόγων ὁ Λουκιανὸς ἀπολεπτύνας καὶ περιελών, ὅσα μὴ ἐδόκει αὐτῷ πρὸς τὸν οἰκεῖον χρήσιμα σκοπόν, αὐταῖς τε λέξεσι καὶ συντάξεσιν εἰς ἕνα τὰ λοιπὰ συναρμόσας λόγον, Λοῦκις ἢ Ὄνος ἐπέγραψε τὸ ἐκεῖθεν ὑποσυληθέν. γέμει δὲ ὁ ἑκατέρου λόγος πλασμάτων μὲν μυθικῶν, ἀρρητοποιίας δὲ αἰσχρᾶς. πλὴν ὁ μὲν Λουκιανὸς σκώπτων καὶ διασύρων τὴν Ἑλληνικὴν δεισιδαιμονίαν, ὥσπερ κἀν τοῖς ἄλλοις, καὶ τοῦτον συνέταττεν, ὁ δὲ Λούκιος σπουδάζων τε καὶ πιστὰς νομίζων τὰς ἐξ ἀνθρώπων εἰς ἀλλήλους μεταμορφώσεις, τάς τε ἐξ ἀλόγων εἰς ἀνθρώπους καὶ ἀνάπαλιν, καὶ τὸν ἄλλον τῶν παλαιῶν μύθων ὕθλον καὶ φλήναφον γραφῇ παρεδίδου ταῦτα καὶ συνύφαινεν.

Jam in capite primo mei libri, quam obscura et ambigua Photii verba de Luciani genere scribendi essent, animadverti, neque hoc testimonium de Asino magis est perspicuum, ita ut eos, qui omnia interpretari vellent, ad diversas devenisse opiniones, facile intellegas.

Quid enim Photius de duobus libris a se lectis statuit? Lucium Patrensem varios Metamorphoseon libros, qui mirabilibus superstitiose narratis scaterent, scripsisse dicit. Quarum Metamorphoseon duos priores libros eiusdem argumenti fuisse declarat, in quo fabula Lucianea versabatur. Lucianum tamen amplas narrationes circumcidisse atque multa, quae sibi non opus esse putaret, omisisse, cetera vero *αὐταῖς λέξεσι καὶ συντάξεσιν* in suam fabulam transtulisse dicit. Sed cum Lucius Patrensis superstitiose narrasset, Lucianus *σκώπ-*

των καὶ διασύρων τὴν Ἑλληνικὴν δεισιδαιμονίαν, ὥσπερ κἀν τοῖς ἄλλοις καὶ τοῦτον συνέταττεν.

Photius igitur, sicut viri docti vulgo opinantur, Asinum Lucianeum satiram in Metamorphoses Lucii Patrensis nominavit? Equidem non credo; nam tota eius argumentatio flagitat, ut eum Asinum pro excerpto habuisse sumamus. Quis deinde Graecae linguae peritus umquam ad paroediam designandam verbis, qualia sunt μεταγράφειν et τὸ ἐκεῖθεν ὑποσυληθέν, usus est? Neque Photius scripsit „διασύρων τὸν Λούκιον sive διασύρων τὰς Λουκίου μεταμορφώσεις τοῦτον συνέταττεν" sed „διασύρων τὴν Ἑλληνικὴν δεισιδαιμονίαν", quae ultima verba utrum ad veritatem sint expressa necne, ex ipso Asino mox apparebit.

V. cl. Rohdeus tamen Photium de satira in Lucium Patrensem locutum esse opinatus etiam in Asino Lucianeo huius parodiae vestigia quaesivit. Sed antequam disputationem illius viri docti inspicias, lector, ut Veras Historias perlegas et ab illo libro recens ad Asinum transeas, tibi suadeo. Nemo profecto, nisi praeconcepta opinione regatur, non videbit Asinum esse lepidam fabulam, in qua neque fabulatores, neque mirabilia neque superstitio in ludibrium vocentur. Nihil scriptor nisi jocosam narrationem spectavit et illa Lucii transfiguratione propterea usus est, quia argumentum fabulae sine ea stare non poterat. In Veris Historiis tamen non simplex fabella narratur, sed scriptor mirabilia undecumque corrasa uno vinculo copulavit et exaggerando in ridiculum detorsit. Qua re perspecta audiamus, quae Rohdeus, ut satiricam Asini indolem ostenderet, in medium protulerit.

Pagina undecima sui libelli[1]) scripsit: „(Lucian) könnte, indem er im wesentlichen den Gang der Erzählung (Lucii Patrensis) beibehielt, sehr wohl, wie ein geschickter Zeichner mit kleinen scharfen Strichen die Physiognomie des Ganzen aus einer ernsthaft feierlicher in eine schelmisch lächelnde verwandeln."

Attamen quaero, utrum haec mutandi ratio satiricam indolem afferat, an potius fabulae naturam hilariorem reddat. Non qui παράδοξα minuit, sed qui mirabilia extra modum auget, ut Lucianus in Veris Historiis, parodiam scribere putandus est.

Pergit eadem pagina (11) Rohdeus: „Endlich wird die eigentliche und wesentliche Aenderung des Lucian mit der die ganze Erzählung an sich schon zur boshaften Parodie wurde, eben darin bestanden haben, dass er den Lucius die ganze Verwandlung in einen Esel und dessen lamentable Erlebnissen als ihm selbst widerfahren erzählen liess. Den dass dies schon Lucius selber in den Metamorphosen gethan habe, ist im höchsten Grade unwahrscheinlich."

Rohdeo igitur judice Lucius Patrensis de alio in asinum mutato in sua fabularum collectione narravit, Lucianus demum, ut satiram faceret, paradoxographo ipsi partes asini tribuit. Quae tamen opinio cum ipsis testimoniis pugnat; Lucianus cum artem fabulatorum in Veris Historiis imitaretur, sic prima persona usus coepit: ὁρμηθεὶς γάρ ποτε ἀπὸ Ἡρακλείων στηλῶν τὸν πλοῦν ἐποιούμην. Apuleius quoque, quem Lucium Patrensem secutum esse videbimus, fabulam his

1) E. Rohde. Ueber Lukians Schrift Λούκιος ἢ ὄνος.

verbis exorsus est: „Thessaliam ex negotio *petebam.*" Lucianus denique de fabulatoribus in universum verba faciens (Ver. Hist. 3) testatur: πολλοὶ συνέγραψαν ὡς δή τινας ἑαυτῶν πλάνας καὶ ἀποδημίας. Patet ergo paradoxographos non de aliis, sed de se ipsis narravisse.

Tertium deinde Rohdei argumentum hoc est: „Sicher verband Lucian mit dem Zweck einer persönlichen Satire ganz vornehmlich auch den, die Deisidaemonie seiner Zeitgenossen im Allgemeinen zu persifliren."

Quae cum scriberet, ad deae Syriae sacerdotes a Luciano male tractatos respexisse mihi videtur, sed quaero, num qui scriptor impudicos antistites laceret, religioni quoque bellum debeat indicere.

Quibus Rohdei argumentis repulsis simul verba Photii, qui δεισιδαιμονίαν elusam esse scribit, non ad litteram accipienda esse videmus, et opinionem mihi e prima lectione ortam, Asinum hilarem esse fabulam, adhuc defendo.

Sed qui factum est, ut Photius Graecorum superstitionem a Luciano derisam esse scriberet?

Photius, ni fallor, ad hoc vitium delapsus est, quia tota Luciani μηδὲν πρεσβεύοντος (Phot. Bibl. c 128) imago ex aliis operibus (κἀν τοῖς ἄλλοις) notissima, ei ante oculos obversabatur.

Qua prima igitur disputationis parte absoluta accurate mihi considerandum est, num quae Photius de exerpendi ratione tradidit, magis ad veritatem sint expressa.

Jamque locus est, ut Apuleium testem proferamus. Cum diu inter viros doctos de ratione, quae inter Latinam et Graecam Asini narrationem intercederet, pugnatum esset,

Goldbacher [1]) et Bürger [2]) hanc quaestionem feliciter ad finem perduxerunt. Bürger enim capite secundo suae dissertationis complures Asini locos, qui ex Apulei Metamorphosibus demum ab omni parte intellegi poterant, prompsit, unde Apuleium et Asini scriptorem materiem ex eodem fonte sed sejunctim hausisse recte conclusit.

Quo teste instructi Photium ante nostrum tribunal vocemus! Dicit Lucium et Lucianum *αὐταῖς λέξεσι καὶ συντάξεσιν* inter se convenire. En adsunt apud Apuleium Latinum et Lucianum Graecum descriptiones, quae paene iisdem verbis sunt expressae; conferas modo Luc. 27—34 cum Apul. VII 14—24 et Luc. 35—40 cum Apul. VIII 23—31. Nonne inde verisimile est Photium recte de verborum similitudine apud utrumque Graecum scriptorem judicasse?

Deinde Photius declarat Lucianum quaedam e narratione, quae sibi non *χρήσιμα* essent, *περιελεῖν* et quae sibi longiora viderentur *ἀπολεπτῦναι*. Denuo Apuleius Photiana verba vera esse ostendit. Bürgerus enim complures locos indicavit, ubi Lucianus fabulam tantopere contraxit, ut sine Apulei ope intellegi nequeat. Unum modo exemplum, ubi viri docti olim infelici conjectura textum traditum tentarunt, exscribere libet. Boissonadius (ad Nicet. 1. 75) in verbis Lucianeis *ἄγει με λαβοῦσα πρὸς τὴν θύραν τοῦ δωματίου, ἔνθα ἐκεῖνοι ἐκάθευδον* (12) haerens, de iis haec disserit: „Credo scripsisse Lucianum *ἐκείνη ἐκάθευδεν*. Agi nempe manifestum est de cubiculo, ubi Hipparchi conjunx dormire solebat, non de

1) Zeitschrift f. Oesterr. Gymn. 1872 (XXXIII).

2) C. Bürgerus. De Lucio Patrensi. Berlin. 1887.

communi Hipparchi et conjugis cubiculo. Etenim si tunc adfuisset Hipparchus vel dormiens, qui conjunx ausa esset praestigiis se magicis in avem mutare? Qui praesertim post herae discessum ausa fuisset Palaestra in hoc ipsum cubiculum intrare, ut inde pyxidem auferret? Nec credibile est, in ipso Hipparchi cubiculo magicas arculas et capsulas a muliercula callida et prudenti fuisse repositas, tutius in proprio suo conclavi suspecta artis infamis instrumenta servabat."

„Attamen conferas," sic inquit Bürgerus, „Apuleium, qui loco respondenti (III, 21) haec habet: „jamque circa primam noctis vigiliam ad illud superius cubiculum suspenso et insono vestigio me perducit." Ubi indicare vult cubiculum paullo ante (c. 17 et 18) accurate ab eo descriptum, quod maxime artibus suis magicis commodatum Hipparchi uxor secreto colebat. En tenemus, quod requirit Boissonadius, atque valde verisimile est Apuleium, cum cetera omnia e Lucio petiverit, ne hoc quidem ipsum invenisse, Graecus autem excerptor, cum commemorationem et descriptionem illius cubiculi priorem una cum fabulis praecedentibus resecuisset, sequentia mutare coactus erat."

Photii igitur fide, quod ad excerpendi rationem pertinet, probata, quid de Lucii Patrensis superstitione statuendum sit, inquiramus.

Asino Lucianeo superstitionem deridenti Photius opponit Lucii Patrensis Metamorphoses prodigiosis scatentes narrationibus, quibus ipsum Lucium credidisse dicit.

Recte de harum fabularum indole Photius judicavit, an, sicut in Asini natura interpretanda, hic quoque lapsus est?

Difficilem quaestionem esse libenter concedo, quia Lucii Metamorphoses non amplius supersunt; sed priora verba Photii, qui duas narrationes inter se simillimas fuisse tradit et de Lucio Patrensi loquitur „*καὶ ὡς ἄν τις εἴποι, ἄλλος ἐστὶ Λουκιανός*" nonne prohibent, quominus magnum inter duas fabulas discrimen interfuisse sumamus?

Totum igitur Photii judicium pro nihilo putandum est? Non credo; nam fieri potuit, ut Lucius Patrensis in libri initio [1]) sive data occasione, pro veris se habere, quae narraturus esset, sive professus sit sive finxerit, quae scilicet verba Lucianus quasi suae narrationi non necessaria omisit.

Tandem aliquando ad ipsam quaestionem veniamus; praecedente enim disputatione Asinum hilarem fabulam esse vidimus; Apuleio comparato scriptorem neglegenter argumentum ex alio libro excerpsisse constat; tertio loco pro fonte Asini habendas esse cognovimus Lucii Patrensis Metamorphoses, quarum indoles non multum a Lucianea fabula abhorruisse videtur, sed quibus fortasse superstitiosa praefatio praefixa erat.

Quae cum ita sint, hoc saltem negemus necesse est, Asini fabulam eodem tempore a Luciano profectam esse, quo Veras Historias scripsit, in quibus credula verba non omittuntur, sed *παράδοξα* in ridiculum detorquentur.

At roget quispiam, „nonne Asinus eadem Luciani aetate scribi potuit, qua eroticae Toxaridis fabulae?"

---

1) Fortasse ultima Photii verba *τὰς ἐξ ἀνθρώπων εἰς ἀλλήλους* etc., quae cum Apulei praefatione conspirant, in Lucii Patrensis fabularum initio legebantur.

Quae conjectura mihi valde arridet; indoles enim Asini cum quinque prioribus Toxaridis narrationibus congruit; deinde capite tèrtio meae dissertationis Lucianum frequenter alios scriptores — Comicos et Menippum volo — imitatum interdum neglegenter opus composuisse vidimus [1]), quocum optime illa socors excerpendi ratio in Asino convenit. Postremo parvum quidem, sed tamen lepidum documentum pro Lucianea origine in eo situm est, quod scriptor, cum alibi fabulam circumcidere soleret, colloquium quoddam meretricio sermone habitum (Asin. 8—11 cfr. Apul. II 16, 17) aut totum e Lucio Patrensi servavit, aut, quod verisimilius est, comice [2]) in maius auxit. Qua in ratione nonne Dialogorum Meretriciorum scriptorem agnoscis? Neque absurdum est, si ipsum Lucianum nomen Photidis apud Apuleium et fortasse apud Lucium Patrensem famulae datum in Palaestram [3]) mutavisse [4]) statuamus.

Meae tamen Asini defensioni argumenta e lingua petita obstant, quibus Cobetus et Fritzschius periti judices fabulam omnium consensu condemnaverunt.

In Variis Lectionibus (p. 260) popularis noster Asinum a Luciano abjudicavit, quia scriptor „Graecitate utitur aliquanto deteriore, multa negligenter et plebeiis erroribus scriptitans" et statim adtulit *συναναχλίνεσθαι* pro *συγκατακλίνεσθαι* et formam *ἐκαθεύδησα*.

---

1) p. 93 meae diss.

2) Cfr. Epicratis fr. 10 (Kock II, 286), ubi ridicula ambiguitate vocabula nautica ad res obscoenas significandas adhibuit poeta.

3) Alcaeus comicus scripsit „Palaestram". (Kock I 761).

4) Cfr. Paucrates ex Alciph. 3.55 a Luciano in Alcidamanta mutatus.

Attamen haec „aliquanto deterior" lingua nonne eo modo explicari potest, quod Lucianus Lucium Patrensem, sine dubio non sincerae 'Ατθίδος auctorem, αὐταῖς λέξεσι καὶ συντάξεσιν, ut Photii verbis utar, secutus, non sua sed magistri verba nobis dederit?

Quo scrupulo liberatus non dubito, quin Asinus eodem tempore, quo Toxaris et Dialogi Meretricii ab ipso Luciano fere quadragenario sit compositus, et libenter assentior verbis codicis Vaticani 90 (Γ), qui in fine Asini exhibet: Λουκιανοῦ ἐπιτομὴ τῶν Λουκίου μεταμορφώσεων.

Tota igitur de Asini scriptore quaestione ad exitum perducta pauca de ratione proferam, quae inter fabularum scriptores intercedere mihi videtur et eos, qui in his libris primas agunt partes.

Jam supra, cum lepidam Asini naturam defenderem, opinionem Rohdei refutavi, qui Lucium Patrensem non de se ipso, sed de alio in asinum mutato historiam narravisse opinatus est. Prorsus aliam viam iniit Bürger; nam licet Photius etiam alio loco (Bibl. c. 166) Lucium Patrensem Metamorphoseon auctorem nominet, tamen ille vir doctus hoc opus satirice contra ipsum Lucium Patrensem ab alio nobis ignoto scriptore compositum esse finxit. Quam igitur paroediam v. cl. Rohdeus in Asino Lucianeo quaesivit, hanc ad Metamorphoses Bürger transtulit. En iterum habemus illam latentem satiram Pylaemene vivaciorem!

Duorum autem virorum opiniones ut bene discernantur, eas sic inter se opponam.

Rohdeus dicit: „Lucius Patrensis in asinum mutatus esse a Luciano demum in Asino fingitur."

Bürgerus dicit: „Lucius Patrensis in asinum mutatus esse ab ignoto scriptore in Metamorphosibus fingitur."

Me tamen judice, ipse Lucius Patrensis se in asinum mutatum esse in Metamorphosibus narravit.

At videamus, quid Asinus et Metamorphoses Apuleianae de hac re nos doceant.

Per totam graecam fabulam primarum partium actor est Lucius quidam juvenis, qui propter negotium sibi a patre mandatum iter in Thessaliam facere instituit, uno tantum loco excepto (55), ubi se non filium mercatoris, sed historiarum scriptorem nominat.

Vides ergo, mi lector, nullum manifestum discrimen servari inter scriptorem fabulae et eum, qui primas agit partes. Conjicio enim has rhetoricas fabulas nullo scriptoris nomine in titulo libri addito in vulgus esse editas neque auctori ullam aliam facultatem, ut innotesceret, remansisse, quam ut in narrationis corpore ipse suo nomine prodiret.

Prorsus idem vitium compositionis — nam alia voce id designare nolo — conspicitur in Apuleio, ubi per majorem fabulae partem primarum actor Lucius Corinthius nominatur. At Apuleius XI, 27 illo Lucio Corinthio seposito actorem primarum partium palam Madaurensem vocat, quo scilicet nomine se ipsum indicare voluit.

Quantum disturbationis haec personarum ambiguitas creare posset, lucide Metamorphoseon initium declarat; Lucius Corinthius sic loqui incipit: „At ego tibi sermone isto Milesio varias fabulas conseram .... et figuras fortunasque hominum in alias imagines conversas, ut mireris, exordior." Deinde, ubi natus sit et quam aerumnabili labore Quiritium ser-

monem excoluerit, lectoribus exponit. Attamen illas periodos Apuleius perperam inter se conjunxit; Lucius enim Corinthius, cum natales suas narrare inciperet, de se profiteri debebat: „quis *ego*, paucis accipe". In fabula vero legitur: „quis *ille*, paucis accipe", quae sunt ipsius Apulei verba praepostere huc inserta.

At non solum duabus his fabulis mea opinio nititur; ipse Lucianus, ut supra jam dixi, de fabulatoribus loquitur: πολλοὶ συνέγραψαν ὡς δή τινας ἑαυτῶν πλάνας καὶ ἀποδημίας (Ver. Hist. 3), neque Augustinus Apuleium a primarum actore Metamorphoseon secernit, cum in Civitate Dei 18.18. sic scribit: „sicut Apuleius in libris, quos Asini aurei titulo inscripsit, *sibi ipsi* accidisse, ut accepto veneno, humano animo permanente asinus fieret, aut indicavit aut finxit."

4. *De Demonactis et Sostrati vitis. Emblemata indicantur.*

Promissum in Piscatore datum ex altera tantum parte a Luciano esse absolutum, qui in omnibus a nobis adhuc memoratis operibus vitia sola hominum castigaverit, facile opinari possis. Non tamen censorem tam malignum, ut virtutes laudare omitteret eum fuisse, testatur *Demonactis Elogium*.

Qui liber quo tempore scriptus sit, inde effici potest, quod verba de Herode Attico, quo amico Demonax utebatur, talia sunt, ut illum jam de vita decessisse credere liceat. Herodes autem quoniam circa annum 177 mortuus est, Demonactis vita post illum annum scripta esse debet.

At id ipsum, quod Lucianus philosophum aequalem

quasi exemplum junioribus proposuit, multos philologos tam vehementer offendit, ut statim de authentia libri dubitarent, quo accedebat ut imperfecta et vaga philosophi imago ex apophthegmatis adumbrata iis valde displiceret. (cfr. Sommerbrodt Ed. Weidm. Praef., p. XX). Quos viros doctos rogare velim, quonam alio modo Demonactis, qui scriptum nihil reliquit, imago melius potuerit delineari, quam ut quis eius ἀποφθέγματα, quae doctrinae summam complectebantur, colligeret? Quod deinde liber satirarum lepore caret, ingenium Luciani magis ad jocosam hilaritatem quam ad seriam venerationem natum esse, nobiscum reputemus.

Antequam autem argumenta, quibus opus a Luciano abjudicatur exponam et si possim, diluam, paucis de opinione v. d. Schwarzii [1]) loquar, qui Demonactem pro ficta persona habens, opus quod superest seculo quarto a Christiano, qui breviore Luciani libello pro fundamento uteretur, profectum esse conjecit.

At Schwarzius, cum Christianas sententias se legere opinaretur, obnoxius mihi fuisse videtur errori, qui a primis post Christum natum temporibus divulgatus est. In plurimis enim profanorum litteris quocumque tempore et consilio scriptis Christiani verba, quae non fortuito cum ipsorum fide congruere viderentur, invenire se putabant.

Byzantini e. g. cum miracula in Veris Historiis derisa legerent, statim dignitatem sacrorum librorum elusam esse opinabantur (cfr. Schol. ad Ver. Hist. II, 41. εἰς τὴν Ἀχρὰν

---

1) A. Schwarz, Ueber Lukians Demonax.

ῥάβδον διαπαίζει. II. 43 *εἰς Μωσέα καὶ τὴν ἐρυθρὰν θάλατταν ἀποτείνεται ταῦτα* etc.)

Testimonia quoque, e quibus optimos gentilium poetarum Christianam veritatem quasi per caliginem perspexisse aut sententias e sacris libris surripuisse, patere videretur, omni ardore colligere studebant. Quid vobis in memoriam revocem Vergilianam Eclogam, quae Christi natales celebrare putabatur, quid dicam de sententiis, quae apud Senecam Christianam originem prodere videbantur? Audi modo Tertullianum (Apol. 47) confidenter rogantem: „Quis est poetarum, quis sophistarum, qui non omnino de prophetarum fonte potaverit? Inde quoque philosophi sitim ingenii sui rigaverunt."

De qua sententiarum similitudine [1]) hodie aliter judicamus, sed ne quaedam vestigia antiqui erroris remanserint, magnopere vereor. Schwarzius non solus est, qui cum Cynicorum placita cum Christiana fide congruere videret, originem Christianam deprehendisse sibi visus sit. Sed qui ea ratione profana scripta Christianis vindicare conantur, paene semper pauca verba neglegunt, quae a Christianorum religione abhorrent, et a paganis solis dici poterant. Velut Demonax, cum infelices mortales consolaretur dicens *ὅτι μετὰ μικρὸν αὐτοῖς παύσεται μὲν τὰ ἀνιῶντα, λήθη δέ τις ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ ἐλευθερία μακρὰ πάντας ἐν ὀλίγῳ καταλήψεται* (18) merum Cynicum, non Christianum agit, quia haec verba graviter a

---

1) Quantum Cynica verba interdum cum Christianis conspirent, testatur Diog. Laert. VI. 6: Antisthenes *ὀνειδιζόμενος ἐπὶ τῷ πονηροῖς συγγενέσθαι ἔφη· καὶ οἱ ἰατροὶ μετὰ τῶν νοσούντων εἰσίν, ἀλλ᾽ οὐ πυρέττουσιν*, quocum contulit primus Hugo Grotius Matth. IX, 11 et 12.

dogmate discrepant, secundum quod non omnes post mortem liberi judicantur, sed qui prave vixerunt, ob peccata plectuntur.

Christiana igitur Demonactis natura refutata nunc videamus, quid de ficta philosophi persona statuendum sit. Primo Eunapius, quem capite primo jam nominavi, Demonactem Luciani aequalem laudat; deinde Fritzschius (Ed. Luc. III, 2, p. XIV sqq.) ex aliis fontibus (e. g. e Stobaei Florilegio 21, 8) 24 ἀποφθέγματα eiusdem philosophi a Luciano praetermissa protraxit, ita ut Demonactem quasi virtutis exemplum a Luciano vel ab alio rhetore fictum fuisse haud verisimile sit.

Nunc adeunda sunt argumenta, quae viros doctos moverunt, ut Luciano vitam Demonactis adimerent.

Aliis aut nullam causam proferentibus (velut J. Bekkero in editione sua), aliis in verba Bernaysii jurantibus, huius viri argumentationem exponere optimum mihi videtur.

Libri sui „Lucian und die Kyniker" pag. 104 scripsit: „Abgesehen von dem stilistischen Eindruck, scheint es mir unglaublich, dass Lucian als reifer Mann einem Eremiten, wie dem Sostratus die schrankenlose Bewunderung gezollt habe, welche in der Einleitung ausgesprochen ist. Auch die spurlose Verschollenheit der Schrift über jenen Sostratus, welche der Verfasser dort als die seinige anfuhrt, wäre, wenn sie von Lucian herrührte, kaum begreiflich." Et pergit: „Die Erwähnung des Peregrinus ohne die leiseste Hindeutung auf seine Verbrennung und Lucians Schrift über dieselbe wäre mit Lucians Autorschaft des „Demonax" schwer vereinbar."

Ultimum argumentum licet parvi sit faciendum, priora tamen

verba tam gravia sunt, ut ad quaestionem dijudicandam prorsus sufficiant.

Quis enim erat ille Sostratus?

Fritzschius peculiari disquisitione „de Luciani Sostrato" conjecturam Hemsterhusii secutus Sostratum illum, cuius initio „Demonactis" mentio fit, eundem fuisse, quem memorant Philostratus (Vit. Soph. 2, 1, 7) et Pausanias (1, 32, 4), lucide ostendit. Illum Boeotia oriundum, a colonis Agathionem vocatum, se heroa Marathonem patrem habere, ipsum praedicasse narrant. Erat homo vasta corporis magnitudine, qui, cum sub divo pernoctare et fortia facinora perpetrare soleret, Herculem quasi exemplum sibi proposuerat. Continentiam pro summo bono putans, a vino religiose se abstinebat, nec non a feminis, quas adeo oderat, ut quodcumque attigerant, quasi pollutum vitaret. Cum a colonis quondam hospitio acceptus lac, quod praebuerunt, ad nares admovisset, *οὐ καθαρὸν τὸ γάλα, προσβάλλει γάρ με χεὶρ γυναικός* dixit et gratia de coena facta abiit.

Quis est, qui credat Lucianum, quippe qui omnem insolentiam et rusticitatem despiceret, hominem, qui tam ineptus feminarum osor esset, eodem tempore, quo Demonactem, singulari extulisse libello?

„Assentiamur igitur," dicat quispiam, „Bernaysii judicio, qui vitam Demonactis a verboso quodam rhetore compositam esse putat."

At nondum manus trado; quibusdam indiciis motus librum Luciano vindicare ad extremum paratus sum.

Quis enim non statim verba, qualia in § 21 leguntur, Luciano gratissima fuisse concedit? Ubi Demonax a Peregrino

ὅτι οὐ κυνᾷ accusatus acute respondet ἀλλα σὺ οὐκ ἀνθρωπίζεις. Nonne Luciano amicus esse debuit ille Demonax ὁμοδίαιτος ἅπασιν ὢν καὶ πεζὸς καὶ οὐδ' ἐπ' ὀλίγον τύφῳ κάτοχος (5)? Optime in Demonactem convenit imago perfecti philosophi, quam Lucianus in Nigrino et alibi sibi finxerat.

Utinam ille locus, ubi de Sostrati Vita fit mentio, ne obstaret, quominus omnem suspicionem de authentia redargueremus. Iterum igitur verba, quae duabus primis paragraphis leguntur, inspiciamus: de Sostrato propter corporis virtutem laudando, et de Demonacte optimo philosopho sermo esse videtur. Quantopere autem ille rusticus, si Luciano cognitus fuisset, taedium et risum ei movere debuisset, supra jam satis ostendi.

Nonne ipse Lucianus, qua via illum molestum Sostratum e Demonactis Vita expellamus, nobis monstravit? Ample enim de Demonactis philosophiae praestantia locutus scripsit § 4 Δημῶναξ καὶ τὸ σῶμα ἐγεγύμναστο καὶ πρὸς καρτερίαν διεπεπόνητο.

Quae cum ita sint, non ad duo, sed ad unum et eundem virum, Demonactem nempe, verba ex initio σώματος ἀρετὴν ὑπερφυᾶ καὶ γνώμην ἄκρως φιλόσοφον referenda esse mihi videntur; unde sequitur totam Demonactis praefationem ab eo esse immutatam, qui Vitam Sostrati nobis pro opere Lucianeo venditare conaretur [1]).

5. *De Luciano ad senectutem devergente.*

Jam supra cum de Peregrini Morte verba facerem, Lucianum odio abreptum illum philosophum eiusque discipulum

---

1) Etiam verba de Timocrate in § 3 postea inserta esse pro certo statuo.

Theagenem justo iniquius notavisse animadverti. Iterum in fine Rhetorum Praeceptoris ille *Διοσκούροις ὁμώνυμος* ob diversa crimina, quae ad rhetoricam eius professionem nihil pertinebant, acerbe tractatus est [1]). Quam conviciandi libidinem et morositatem Luciano senescente sensim auctam esse per se intelligitur et opera *Adversus Indoctum* et *Pseudologistes* lucide demonstrare possunt. Quae enim maledicta in his libellis leguntur, tantopere modum excedunt, ut urbana Luciani natura, alibi perspicua, ibi frustra quaeratur.

Duae deinde morosae commentationes *de Luctu* et *de Sacrificiis* supersunt, quas utrum ad tertiam an ad quartam aetatem referam, mihi non certum est. Prior enim libellus tam tristi sermone est scriptus, ut ab eo profectus esse debeat, qui longa malorum serie gaudium vitae amisisset. Alter non fabulas de deis vel sententias mortalium de numinum potestate festive illudit, ut Lucianus antea Comicos et Menippum secutus facere solebat, sed ipsum adeo cultum divinum tam hostiliter aggressus est, ut morosi senis opus esse statuere liceat. Cum Aegyptiorum praesertim religionem (de sacr. 14) ineptissimam scriptori videri legissem, et in de Luctu 21 verba *Αἰγύπτιος μέν γε — λέγω δ' ἰδών — ξηράνας τὸν νεκρὸν σύνδειπνον καὶ συμπότην ἐποιήσατο* invenissem, Lucianum haec opera scribentem jam Aegyptum, ubi postea eum vixisse constat, demigravisse conclusi.

Quia autem libros de Luctu et de Sacrificiis pro operibus

1) Neque praetereunda est *Alexandri vita*; nam licet credulitatis et superstitionis exactam imaginem, quibus homines Antoninorum aevo obnoxii erant, grati accipiamus, tamen non est infitiandum Lucianum illum fallacem circulatorem nimis atro carbone notasse.

a Luciano ad senectutem devergente confectis habeo et ibidem sententias inveni, quae cum Cynicorum praeceptis conveniunt, (Demonax 11 = de sacr. 1) facile intellegas, lector, me non in eorum sententiam ire, qui utramque commentationem a Christianis e Lucianeis scriptis compilatam esse autument. Nullum enim, quod Christianam manum argueret, documentum inveni; si quis autem verba Luciani indignati, quod homines *οὕτω ταπεινὸν καὶ ἀγεννὲς τὸ θεῖον ὑπειλήφασιν, ὥστε εἶναι ἀνθρώπων ἐνδεές* (de sacr. 1) cum Pauli Apostoli (Act. Apost. 17, 25) judicio comparet, unde Christianam libelli originem interpretetur, ei Euripidem dicentem *δεῖται γὰρ ὁ θεὸς, εἴπερ ἔστ' ὄντως θεὸς, οὐδενός* in memoriam revocabo.

Sed quid vos amplius moror? Lucianus enim (de luctu 9) de inferiis quasi de *ταῖς παρ' ἡμῶν χοαῖς* loquitur, quae verba numquam a Christiano scribi potuerunt.

Quarto mei libri capiti finem impositurus hoc tantum in universum de tertiae aetatis operibus animadverto, ubique veros Luciani aequales in judicium esse vocatos, cum in secundae aetatis dialogis personae ex antiqua Comoedia vel e Menippea satira inter se confabularentur.

CAPUT QUINTUM.

DE SCRIPTIS SENILIBUS ET SUBDITICIIS. EPILOGUS.

1. *De Luciani senis misera sorte.*

At provecta jam senectute repente acerbo suo sermone remisso Lucianus e censore difficili blandus et abjectus adulator factus est. Tenui re coactus ab Aegypti praefecto, ut ex *Apologia* effici potest, munus publicum, quod ad judicia [1]) pertinuisse videtur, sibi impetravit. Cum idcirco ab adversariis sibi crimini daretur, quod, quae pulchra praecepta in Mercede Conductis praedicavisset, oblitus esset, et jure inimici dicere possent: *μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός* (Apol. 5) sophistarum more speciosius quam verius se defendit mercedem suam *οὐκ ἰδιωτικὴν* significans *ἀλλὰ παρὰ τοῦ βασιλέως, οὐ μικρὰν ἀλλὰ πολυτάλαντον* (13).

Quantum Lucianus senex ab illo viro *ἐλευθέρῳ καὶ παρρη-*

1) Dindorfius in Praef. Edit. Luc. p. 8 Lucianum hypomnematographi munere functum esse conjecit.

σίας μεστῷ, quem e superioribus scriptis cognovimus, mutatus esset, optime e libello *pro lapsu in salutando* videre possumus. Nam cum aliquando mane in forum Alexandrinum venisset, ubi de causa quadam jus diceretur, Romanum, qui judicio praeerat, formula ὑγίαινε pro χαῖρε allocutus est. Quod cum magistratum aegre tulisse animadvertisset, eo se abjecit humilitatis, ut quasi gravissimum facinus perpetravisset, peculiari libello, in quo eadem salutandi forma e virorum nobilium epistolis defendebatur, lapsum purgare conaretur.

Sperans autem fore ut hac adulatione gratiam Romanorum sibi conciliaret, eo processit fiduciae, ut sibi ἔθνος ἐπιτραπῆναι ἤ τινας ἄλλας πράξεις βασιλικάς exspectaret. Sed brevi tempore a Romanis dimissus, nedum ad maiora munera vocatus, quem juvenis orbem terrarum peragraverat, denuo senex pererrasse et ad rhetoricas declamationes tam saepe a se contemptas, iterum descendisse videtur. Lucianum illum, quem acerbissimum tumidae rhetorum vanitatis persecutorem cognovimus, ipsum insulsas et omni ingenio destitutas praefationes habuisse, quales sunt *Hercules*, *Bacchus*, *Dipsades*, paene incredibile esset, nisi ipsa verba, quibus ob senectutem benevolentiam multitudinis mendicat, (Bacch. 6, Herc. 7, 8) testarentur.

Postquam igitur Lucianus, ut totam eius vitam complectar, antiquorum exemplum secutus paulatim ad eum praestantiae gradum ascendit, ut jure se aequalium censorem nominare posset, senex animi libertate deposita adulator Romanorum factus, postea ingenio hebescente ad rhetoricas exercitationes relapsus est.

Necessitudine autem, quae inter genuinos libros per diversas aetates intercederet, quam accuratissime exposita, reliquum est, ut inquiramus, quot libelli subditi judicandi sint.

2. *De operibus subditiciis.*

Quotienscumque in superioribus quaestionibus argumentatio tulit, ut de authentia alicuius libri opinionem exponerem, saepius Lucianeam originem contra virorum doctorum crimina defendere, quam opus aliquod inter spuria rejicere conatus sum.

Ut breviter mea judicia in vestram memoriam revocem, libros de Saltatione, Hesiodum, Imagines, Nigrinum, Parasitum, Asinum, Demonactem, de Luctu, de Sacrificiis, ab ipso Luciano scriptos esse, licet in alia quaestione nonnulli, in alia plerique philologi refragentur, pro certo statuo, sed duo libros Cynicum et Philopatrin propter sermonem et argumentum luce clarius adulterinam originem prodere puto.

Restant nunc octo libri communi consensu inter spurios rejecti, ita ut viris eruditis ineptus esse viderer, si denuo in eorum originem inquirerem; in aliorum igitur judiciis proferendis me continebo, in medio relinquens, utrum ubique verum viderint necne.

I. Dialogus *Amores* propter grandem et tumidum sermonem ab omnibus rectissime damnatus [1]) ab eo scriptus est, qui notitiam cum Luciani operibus contractam ostendere

---

1) Lucinus e. g. Theomnestum amicum sic affatur: *καί μοι σφόδρα διψῶντι τοιαύτης ἀνέσεως εὔκαιρος ἡ τῶν ἱλαρῶν σου λόγων ἐρρύη χάρις* (1).

voluit. Nam cum in Bis Accusato Lucianum juvenem per Graeciam Ionio sinu trajecto in Italiam profectum esse legisset, hanc peregrinationem multis excursionibus additis ad rhetoricam itineris descriptionem ita exornavit, quasi Lucianus ut homo opulentissimus voluptatis causa hoc iter fecisset. Insulae Cnidus et Rhodus a Lucino (qui primarum est actor) lustrantur et de nobilissimis deae Veneris signis et templis amplae ἐκφράσεις, cuius artis rhetores peritissimi erant, nobis offeruntur. Etiam eroticam fabulam de quodam Cnidio juvene, qui cum Venere marmorea rem habuit, a Luciano in Imaginibus (4) obiter commemoratam, Amorum scriptor ample narravit.

II. Deinde superest *Halcyon*, qui liber propter formam dialogi ad secundam Luciani aetatem referendus esset, nisi verba credula κλέος δὲ μύθων, οἷον παρέδοσαν πατέρες, τοιοῦτον καὶ παισὶν ἐμοῖς παραδώσω (8) efficerent, ut numquam a Luciano satirico scribi potuerit.

III. In *Nerone*, ubi Musonius philosophus cum amico quodam disserens inducitur, sermonis color non Lucianeus videtur, quo accedit, ut raro Lucianus historiam Romanorum attigerit. Kayserus [1]) dialogum Flavio Philostrato vindicare conatus est.

IV. *Demosthenis Encomium* jam Byzantinus scholiasta recte me judice in dubium vocavit, quia a Luciani arte narrandi prorsus abhorret. (οὗτος ὁ λόγος ἐνδεῖ τῆς τοῦ Λουκιανοῦ ἰδέας καὶ ἀγχινοίας).

V. *Charidemum* tamquam puerilem declamationem Ges-

---

1) Cfr. Kayser. Praef. ad Flav. Phil. p. 33.

nerus et post eum alii damnaverunt. Abest quoque dialogus aeque ac Nero et Philopatris a codice Vaticano (90), de qua re disseruit v. d. Rothstein in Quaest. Lucian. p. 3.

VI. *Macrobii*, in quo libro nemo Tiberio recentior nominatur, ab aliis viris doctis ad primum, a M. Rothsteinio (p. 123—127) ad quartum seculum refertur.

VII et VIII. Dindorfius (in praef. Ed. Luc. p. 9) libros de *Dea Syria* et de *Astrologia* propter superstitiosam indolem et dialectum Ionicam, qua in utroque libello auctor usus est, a Luciano alienos judicavit. Mihi tamen indoles non tam credula videtur, ut opera Luciano rhetori tribuere non audeam. Nam in Astrologia antiquae fabulae rationaliter explicantur, e. g. Bellerophon non Pegaso per aera vectus est, sed quia peritus astrologiae erat, totum aerem mente complectebatur (§ 13, quocum conferas de Saltatione 19, ubi Proteus perantiquus mimus nominatur). In libro de Dea Syria superstitiosa de Adonide fabula secundum leges naturae explanatur (§ 8, quocum conferendus est Scytha 2) et saepe scriptor, quae audivit, non pro veris se habere testatur (11).

Alterum Dindorfii argumentum ex Ionica dialecto petitum etiam minoris est pretii; Lucianus enim loco, quem v. d. adtulit, hanc dialectum non improbavit, sed rerum scriptores modo Attice modo Ionice modo κοινῇ usos narrationem componere vituperat (de hist. conscrib. 18), vel adeo ipse in „Herodoto" (10) declarat τὸ οἰκεῖον τῇ Ἰωνίᾳ καὶ προσφυὲς εἶθε μιμήσασθαι δυνατὸν ἦν. In Vitarum Auctione (3, 4, 13, 14) Pythagoras, Democritus, Heraclitus patrio i. e. Ionico sermone usi doctrinam suam explicantes inducuntur.

Vides ergo argumenta Dindorfiana non ita firma esse,

quid vero de operum authentia statuendum sit prudentiorum judicio relinquo.

3. *Epilogus.*

Jamque opus exegi et paucis Luciani scriptoris imago delineanda est.

Lucianus circa annum 115 Samosatis natus admodum juvenis in Ioniam profectus rhetorum disciplinae se dedit. Annis tirocinii peractis in Graecia, in Macedonia, in Italia, in Gallia auditorum animos declamationibus in se convertit et Antiochiae aliquamdiu patronus causarum fuit. Ex qua aetate non pauca opera supersunt, quae scriptorem aequalium studiis addictum fuisse manifeste ostendunt.

Circa annum aetatis quadragesimum ad fabulas eroticas narrandas transiit. Ex ignotis auctoribus aut ex populi ore decem Toxaridis fabulas mutuatus, a Lucio Patrensi Asinum, a novae comoediae poetis Dialogos Meretricios sumpsit. Quae mutuandi et imitandi ratio ei tantopere placuit et auditoribus tam grata fuit, ut per complures annos e poetis comicis et Menippo satirico argumenta hauriret, in quibus deorum fabulae, antiqui philosophi, vana mortalium studia deridebantur. Quae omnia scripta rhetoricam indolem spirantia a satiris, quas Lucianus contra aequales scripsit, bene sunt distinguenda.

Circa autem annum 165 fere quinquagenarius tota rhetorica arte repudiata venerabiles philosophos, quos saepe deriserat, se colere professus aequalium vitia se notaturum esse promisit. Per plus quam quindecim sequentes annos illa

opera composuit, quae inter omnia eximia esse puto, sed conviciandi libidine pellectus nonnumquam nimis acerbe inimicos perstrinxit.

At provecta jam senectute animi libertatis oblitus Romanorum adulator factus, deinde ingenio hebescente ad rhetoricas declamationes, quas juvenis exercuit, relapsus est.

Si quis autem me roget, quid de Luciano censeam, eum non magis propter aequalium superstitionem et credulitatem elusas quam propter lepidam et venustam artem narrandi mihi gratissimum esse respondeo. Non Alexandrum solum, sed Veras Historias, librum de Mercede Conductis, Philopseudes, Convivium, Dialogos Meretricios, Asinum et pulchram illam Somnii descriptionem in deliciis habeo.

Verum non solum toti libri eo nomine sunt laudandi, etiam in rhetoricis operibus fabellae facete narratae hic illic sparsae inveniuntur. (Harm. 1, 2. Scytha 1, 2, 9. Zeuxis 8—12. Electron 2, 5. Prom. in litt. 4. Calumn. 2—4, 16, 18. de Saltat. 63, 64, 66, 76, 83, 84). Quantum denique Lucianus opera arte facta describere calleret, loci, quales sunt Zeuxis 4—6, ostendere possunt, sed praesertim eo cognoscitur, quod Raphaelus Italiae decus suas Alexandri et Roxanes nuptias ad Luciani descriptionem (Herodot. 5) delineavit [1].

---

1) Cfr. R. Förster. Lucian in der Renaissance. p. 19.

TABULA CHRONOLOGICA.

Aetas prima usque ad annum ± 155.

Tyrannicida.	declamationes.
filius abdicatus.	
Phalaris I.	
Phalaris II.	
de calumnia.	
judicium vocalium.	
Harmonides.	praefationes.
Herodotus.	
Scytha.	
Electron.	
muscae laus.	laudationes.
patriae laus.	
de domo.	
de balneo.	
Hesiodus.	dialogi.
de Saltatione.	
Toxaris.	
Anacharsis.	

Somnium. Asinus.	ex huius aetatis fine aut ex secundae initio.

Aetas secunda. Ab anno ± 155 usque ad ± 165.

Dialogi Meretricii. Timon. Dialogi Deorum. Dialogi Marinorum. de Parasito. Vitarum Auctio. Deorum Concio. Prometheus sive Caucasus.	dialogi, quorum argumenta apud Comicos inveniuntur.
Cronica. Dialogi Mortuorum. Menippus. Hermotimus. Jupiter Confutatus. Charon. Navigium.	dialogi, in quibus Cynicorum doctrina cernitur.
Jupiter Tragoedus. Nigrinus. Gallus. Tyrannus. Icaromenippus.	dialogi, in quibus cynica verba comicis personis tribuuntur.

Bis Accusatus Piscator	Claudunt secundam aetatem.
Imagines Pro Imaginibus.	anno 162 scriptae.
Zeuxis (praefatio).	
Prometheus in litteris.	

Aetas Tertia. Ab anno ± 165 usque ad ± 180.

De Peregrini Morte ± 166 Fugitivi Convivium Philopseudes Eunuchus	satirae in philosophos aequales scriptae.
de Historia Conscribenda ± 166 Rhetorum Praeceptor Lexiphanes Verae Historiae de Mercede Conductis Alexander (post 180)	alia aequalium vitia perstringuntur.
Demonax (post 177) (laudatio)	
adversus Indoctum Pseudologistes	opera, quibus in inimicos invehitur.
de Luctu	
de Sacrificiis.	

Aetas Quarta. Ab anno ± 180 usque ad mortem.

Apologia de Lapsu in salutando	opera Alexandriae scripta.
Bacchus Hercules Dipsades	praefationes rhetoricae.

Philopatris. Cynicus. Amores. Halcyon. Demosthenis Encomium. Longaevi. Nero. Charidemus. Pseudosophistes. de Dea Syria de Astrologia.	opera subditicia aut suspecta.

INDEX NONNULLORUM LIBRORUM, QUI AD LUCIANUM PERTINENT.

Libris † signatis ad meam commentationem usus sum.

1715. M. Gesner. De Philopatride. Jenae. †

1743. T. Hemsterhusius—J. F. Reitzius. Editio Luciani cum apparatu critico. Amsterdam. †

1818. Courier. La Luciade ou l'âne. Paris.

1830. F. Fritzschius. Quaestiones Lucianeae. †

1831. F. Ranke. Pollux et Lucianus. Quedlinburg.

1832. K. G. Jacob. Charakteristik Lucians von Samosata. Hamburg. †

1834. G. Wetzlar. De aetate, vita, scriptisque Luciani Samosatensis. Marburg.

1838. W. Chlebus. De Luciano philosopho. Berlin. †

1841. A. Mees. De Luciani studiis et scriptis juvenilibus. Rotterdam. †

1843. C. E. J. Burmeister. Commentatio, qua Lucianum scriptis suis libros sacros irrisisse negatur. Güstrow.

1844. H. Kühn. Commentatio, qua Lucianus a crimine librorum sacrorum irrisorum liberatur. Grimm.

1844. R. B. Hirschig. Annotationes in Parasitum. Lugd. Bat. †
1849. K. F. Hermann. Charakteristik Lucians und seiner Schriften. Göttingen.
1850. Ad. Planck. Quaestiones Lucianeae.
1851. Ad. Planck. Lucian und das Christentum.
E. A. Struve. De Peregrini morte, quae tradidit Lucianus, num ad veritatem exhibita videantur.
1853. C. Jacobitz edidit Lucianum. Leipzig.
J. Bekker edidit Lucianum. Leipzig. †
1854. C. G. Cobet. Variae Lectiones. Lugd. Bat. †
W. A. Passow. Lucian und die Geschichte.
1856. Rigault. Luciani quae fuerit de re litteraria iudicandi ratio. Parisiis.
J. L. Hoffmann. Lucian der Satiriker. Nürnberg.
1857. Th. Keim. „Lucian" (Herzog's Realencycl. f. prot. Theologie). †
1858. W. Dindorf edidit Lucianum. Leipzig. †
1859. Van Eyken. De Luciano philosopho. Traj. ad Rhen.
1860. I. Guttentag. De Toxaride. Berlin. †
F. Fritzschius edidit Lucianum I. 1. Rostock. †
J. Sommerbrodt. Ausgew. Schrift. Lucians I (Prolegomena). Berlin. †
1862. F. Fritzschius edidit Lucianum I. 2. Rostock (addita sunt prolegomena). †
1863. A. Schwarz. Ueber Lukians Nigrinus. Triest. †
1866. A. Schwarz. Ueber Lukians Gallus. Stockerau. †
1865. F. Fritzschius edidit Lucianum II. 1. Rostock. †
1866. H. Blümner. De locis Luciani ad artem spectantibus. Berlin.

1866. H. Peter. Ueber den Roman bei den Griechen (Neues Schweizer Museum, I. p. 1—36).

1867. H. Blümner. Archaeologische Studien zu Lukian. Breslau.

A. Nicolai. Ueber Entstehung und Wesen des Griechischen Romans. Berlin.

1868. C. Knaut. De Luciano Asini auctore. Leipzig.

1869. E. Rohde. Ueber Lucians Schrift Λούκιος ἢ ὄνος. Leipzig. †

F. Fritzschius edidit Lucianum II. 2. Rostock. †

1871. J. N. Madvig. Adversaria crit. ad script. graec. (p. 677—703). Hauniae.

Th. Fritzsche. Menipp und Horaz. Güstrow. †

C. Pohl. Ueber Lucian und seine Stellung zum Christentum. Breslau.

J. Walser. Lukians Dialog „der Traum oder der Hahn.“ Linz.

Dewaule. Etude sur Lucien. Perigueux.

1872. J. Sommerbrodt. Lucianea. Leipzig.

E. Ziegeler. De Luciano poetarum judice et imitatore.

Goldbacher. Ueber den Asinus. (Zeits. Oesterr. Gymn.) †

1874. E. Wasmannsdorf. Luciani scripta, quae ad Menippum spectant, inter se comparantur. Jenae.

O. Buchwald. Homer in Lukians Schriften.

F. Fritzschius edidit Lucianum III, 1. Rostock. †

1876. E. Rohde. der Griechische Roman und seine Vorläufer. (Pars III pertinet ad rhetores). †

1877. J. J. Hartman. Studia critica in Lucianum. Lugd.-Bat. †

v. Herwerden. Plutarchea et Lucianea. Traj. ad Rh.

A. Schwarz. Ueber Lukians Hermotimus. Horn. †

1878. A. Schwarz. Ueber Lukians Demonax. Wien. †
1879. J. Bernays. Lukian und die Cyniker. Berlin. †
1880. K. Jacobitz. Ausgew. Schriften des Lukians.
1881. E. Wildenow. De Menippo Cynico. Halle. †
P. C. Margadant. De Luciano aequalium suorum censore. Hagae-Comitum. †
1882. F. Fritzschius edidit Lucianum III, 2. Rostock. †
Croiset. De Luciani vita ac scriptis. Parisiis.
J. Vahlen. Luciani quae sententia fuerit de cynicis. Berlin.
1883. P. Schulze. Quae ratio intercedat inter Lucianum et comicos Graecorum poetas. Berlin. †
A. Baar. Der Pseudosophist. Görz. †
1884. Ad. Thimme. Quaestiones Lucianeae.
1885. A. Heinrich. Lukian und Horaz. Graz. †
1886. R. Förster. Lucian in der Renaissance. Kiel.
H. Richard. Ueber die Lykinosdialoge des Lukian. Hamburg. †
Lucianus. Recognovit J. Sommerbrodt I, 1.
1887. C. Bürger. De Lucio Patrensi. Berlin.
1888. M. Rothstein. Quaestiones Lucianeae. Berlin. †
J. Bruns. Lukians phil. Satiren. (Mus. Rhen.) †
Th. Kock. Lukian und die Komödie. (Mus. Rhen.) †
1889. Th. Kock. Comicorum Atticorum Fragmenta. Tom. III. †
1891. P. Schulze. De Saltatione. (Fleck. Jahrb. 143.) †
C. H. Dee. De ratione, quae est inter Asinum Pseudolucianeum Apuleique Metamorphoseon libros. †

THESES.

THESES.



I.

In scriptis Lucianeis quattuor aetates sunt discernendae.

II.

Lucianus, nullius scholae sectator, quidquid de philosophia dixit, e Comicis et Menippo satirico petivit.

III.

Dialogi Deorum a Luciano rhetore magis ad exemplum Comicorum sunt scripti, quam ut aequalium religionem labefactaret.

IV.

Lucianus non solum in dictione e pedestri oratione et versibus conflata, sed etiam in argumentis eligendis Menippum secutus est.

V.

Ratio, qua v. cl. Kockius e Luciani operibus comicos versus restituit, haud probanda mihi videtur.

VI.

Immerito Nigrinus et Demonax a Luciano abjudicantur.

VII.

Asinus est opus Lucianeum.

VIII.

Fallitur v. cl. Fritzschius, cum Icaromenippum anno 180 scriptum esse putat.

IX.

Demonactis initium longiore interpolatione depravatum esse mihi videtur.

X.

Lucian. Peregrin 45. *τί σοι δοκεῖ ὁ Δημόκριτος, εἰ ταῦτα εἶδε; κατ' ἀξίαν γελάσαι ἂν ἐπὶ τῷ ἀνδρί· [καίτοι πόθεν εἶχεν ἐκεῖνος τοσοῦτον γέλωτα;] σὺ δ' οὖν, ὦ Φιλότης, γέλα καὶ αὐτός.*

Verba uncinis inclusa deleantur.

XI.

Lucian. Dial. Meretr. IV. 2 „τίνα Ἑρμότιμον, τίνα", ἔφην, „ἢ ποίαν στήλην λέγεις;"

Fortasse hic trimeter comicus est restituendus:

τίν' Ἑρμότιμον ἢ ποίαν στήλην λέγεις;

XII.

Lucian. Rhet. Praec. 24 οὐκέτι Ποθεινὸς ὀνομάζομαι ἀλλ' ἤδη τοῖς Διὸς καὶ Λήδας παισὶν ὁμώνυμος γεγένημαι.

Errant viri docti, qui Julium Pollucem designari contendunt.

XIII.

Lucian. Dial. Deor. XX, 11 οἷα μὲν ἡ παρθένος, ὡς δὲ βασιλικὸν αὕτη καὶ σεμνὸν ἀπολάμπει καὶ ἀληθῶς ἄξιον τοῦ Διός, ὁρᾷ δὲ ἡδέως καὶ γλαφυρόν τι καὶ προσαγωγὸν ἐμειδίασεν.

Quia sermo est de Minerva, Junone, Venere, ultima verba sic corrigantur:

οἷα δὲ ἥδε, ὥστε καὶ γλαφυρόν τι καὶ προσαγωγὸν ἐμειδίασεν.

XIV.

Lucian. Dem. 2 ὡς οἱ γενναιότατοι τῶν νέων καὶ πρὸς φιλοσοφίαν ὁρῶντες ἔχοιεν μὴ πρὸς τὰ ἀρχαῖα μόνα τῶν παραδειγμάτων σφᾶς αὐτοὺς ῥυθμίζειν .....

Legendum puto: καὶ πρὸς φιλοσοφίαν ὁρμῶντες.

XV.

Argumentum Rhesi II. Ῥῆσος εἰς Ἴλιον παραγίγνεται νυκτός, στρατευομένων Τρώων παρὰ ταῖς ναυσὶ τῶν Ἑλλήνων.

Potius legas: στρατοπεδευομένων Τρώων etc.

XVI.

Liv. XXXIV. 9. Nocte pars tertia civium in muris excubabat; neque moris causa tantum aut legis sed quanta, si hostis ad portus esset, servabant vigilias et circumibant cura.

Legendum puto: sed quanta, si hostis adortus esset, servabant etc.

XVII.

Cic. de div. I. 38. Vitium, quod est in verbis „neque non possunt futura praenoscere", non codicibus sed Stoicorum argumentationi tribuendum est. Cfr. de div. II 49 et 51.

XVIII.

Catulli codex S. Germanensis non ipse, sed exemplar, unde deductus est, anno 1375 scriptum esse videtur.

XIX.

Catull. 12. 6—9 (Ed. Riese):

crede Pollioni
fratri, qui tua furta vel talento
mutari velit: est enim leporum
disertus puer ac facetiarum.

Cum Vossio emendandum: differtus puer a. f.

XX.

Catull. 42. 13—15

non assis facis? o lutum, lupanar,
aut si perditius potest quid esse!

Paululum mutes in: non assis facit. o lutum, o lupanar.

XXI.

Catull. 55. 15—18. Dic nobis ubi sis futurus, ede
audacter, committe, crede luci!
Num te lacteolae tenent puellae?

Legere velim: Dic nobis ubi sis, securus ede,
audacter committe, crede luci!

XXII.

Apul. I. 10 (Ed. Eyss.) Quae cum subinde ac multis noceret, publicitus indignatio percrebruit.

Mutare velim in: Quae cum subinde a multis noscerentur, publicitus indignatio percrebruit.

XXIII.

Apul. I, 17. At ego miser adficto ex tempore absurdo joco in alium sermonem intentionem eius denuo derivo.

V. „denuo" delendum puto.

XXIV.

Apul. II, 5. Tunc minus morigeros et viles fastidio in saxa et in pecua et quodvis animal puncto reformat.

Fortasse ita restituenda sunt: et serviles fastidio irata in saxa etc.

XXV.

Apul. IV, 26. Nec ullo de familiaribus nostris repugnante ac ne tantillum quidem resistente miseram exanimem saevo pavore trepido de medio matris gremio rapuere.

Mutanda puto in: misere exanimem, saevo pavore trepidam etc.

CORRIGENDA.

P.	11	r.	4	litteram	*l.* litterariam
„	31	„	2	*οὖτος*	„ *οὗτος*
				της	„ *τῆς*
„	33	„	2	indicaret.	„ indicaret
„	40	„	14	devinxi	„ devinxit
„	40	„	15	contraxi	„ contraxit
„	65	„	17	hercle,	„ hercle
„	67	„	7	*κωμῳδίας οὐδὲ,*	„ *κωμῳδίας, οὐδὲ*
„	67	„	14	respicit	„ respicit,
„	67	„	17	*πάυσεται*	„ *παύσεται*
„	69	„	1	*l.* *ἐγκατακλινεὶς*	
„	71	„	9	*θαυμάζεσθα*	„ *θαυμάζεσθαι*
„	81	„	21	deleatur „ille"	
„	82	„	7	*l.* *Ἐπιστολάς*	
„	101	„	21	deleatur „in"	
„	103	„	26	*l.* *ἀποτεινόμενον*	
„	121	„	28	deleatur „in"	